CONTROVERSIA ANGLICANA DE POTESTATE PONTIFICIS ET REGIS;

RECOGNITA ET AVCTA.

Contra Lancellottum, Sacellanum Regis Angliæ, qui ſe Epiſcopum Elienſem vocat. Vbi etiam defenditur Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus, &c.

AVTORE

R. P. MARTINO BECANO Societatis Ieſu Theologo & Profeſſore Ordinario.

De Ecclesia Christi

De comparatione Ecclesiæ, & sinagogæ

MOGVNTIAE,

Apud Ioannem Albinum, Anno 1613.

De oratione pro defunctis

PAVLO V.

PONTIFICI MAXIMO.

ACcedo ſupplex, Beatiſſime Pater, vt vel verbulo Tuam Sanctitatem liceat interpellare. Ante aliquot menſes ſcripſi hunc Libellum *de Poteſtate Pontificis & Regis*; eumq; Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino D. Franciſco Sfortię, S.R.E. Cardinali Ampliſſimo, ſubmiſsè dedicaui. Eundem nunc recognitum & auctum;

ſicut & cætera Opuſcula, quæ hactenus contra perduelles Eccleſiæ, à me edita ſunt, Tuo ſiſto Tribunali ac iudicio; vt à Te, qui Chriſti in terris Vicarius es, ſi quid benè ſcriptum, approbetur; ſi quid malè, corrigatur: Et, quod benè, cedat in bonum publicum; quod malè, priuato errori imputetur. Hoc habui, Beatiſſime Pater. Dabis veniam, ſi importunus fui: Et vt Apoſtolica benedictione labores meos promoueas, deuotiſſimè rogo & obteſtor. Deus Opt. Max. Sanctitatem Tuam Eccleſiæ ſuæ diu ſeruet incolumem.

Sanctitatis Veſtræ
minimus in Chriſto ſeruus
MARTINVS BECANVS.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO SFORTIÆ, SANCTÆ ROMANÆ ECclesiæ Cardinali amplissimo.

MARTINVS BECANVS.

IAM propè sæculum est, Illustrissime Cardinalis, cùm primùm in his plagis Septentrionalibus, orta sunt intestina bella circa fidem & religionem, magno multorum damno ac

interitu; vobis interim in Italia, quæ Dei benignitas est, altissima pace perfruentibus. Multos interea, sed nullos infensiores experti sumus hostes, quam qui in Germania Caluinistæ, in Gallia Hugonotæ, in Hollandia Geusij, in Bohemia Picarditæ, in Anglia Puritani appellari solét. Cum his, quotidianis velitationib. exercemur: Et nunc cominus, nunc eminus, vt occasio se offert, infestis armis congredimur. Ac iam prope debellati sunt. Certe in Germania vix vllus est, qui in apertum campum prodire ausit. Nam tenebriones nō moramur. Plessæus in

us in Gallia, rebus desperatis, calamũ de manu posuit, & ferro deinceps pugnare vult. Sed obstat senium. Hollandi, mutuis odijs ac dissidijs seipsos cõficiũt, vt nobis debellatoribus opus non sit. In sola Anglia vnus aut alter est, qui se mouet. Sed tam frigidè, vt non tam pugnare eos dixeris, quam ludum agere. Inter eos est Lancellottus Andreas, Pseudoepiscopus Eliensis, qui nuper de potestate Regis & Pontificis, in Cardinalem Bellarminum aliquid commentus est. Homo sanè nullius fidei, ac modestiæ: in quo præter inanem loquentiam, & perpe-

tuum, nunc adulandi, nunc maledicendi ſtudium, nihil admodum momenti eſt. Indignus profectò, cui Cardinalis Bellarminus, vir tanti nominis & exiſtimationis, vel verbum reſpondeat. Ne tamen incauto Lectori faciat fucum, refutandum cenſui: Et quidem hoc breui libello, qui *Controuerſia Anglicana* inſcriptus à me eſt. Eum ad Te mitto, Illuſtriſſime Cardinalis, Tuoq; Ampliſsimo Nomini conſecratum eſſe volo. Vt velim, multa me mouent. Illud inprimis, quod intelligam aliquot meos libellos, quos hactenus contra Eccleſiæ perduelles in

lucem

lucem dedi, non ingratos tibi accidiſſe. Quod tamen non ſic interpretor, quaſi digni fuerint, qui apud tantum virũ ſuo merito gratiam aliquam obtinerent; ſed potius, quod in eius viri manum ac conſpectum inciderint, qui zelo veritatis, ac Chriſtianæ religionis defendendæ & propagandæ ſtudio inflammatus, ea omnia beneuolè ac humaniter accipit, quę quocunq; modo ad Eccleſiæ Romanæ dignitatem conſeruandam, hoſteſq; illius ſubuertendos pertinere videātur. Accedit, quod acri ac maturo iudicio, quo præditus es, de aliorum lucubrationibus ſenten-

tiam ferre, & quid rectè aut secus dictum ſit, æſtimare ſolitus ſis. Et quanquam ex hac parte, potius ſubterfugere debebam conſpectum tuum, quippe qui infirmitatis meæ conſcius ſubuereri poteram, etiã in meis lucubrationibus eſſe, quæ homini acrioris ingenii diſplicere poſſint; tamen eo potiſſimum nomine auſus ſum apparere, vt arbitrii ac iudicij tui ſit, non quidem, quo loco inter Catholicos Scriptores, quorum ſanè minimus ſum, cenſeri queam; ſed quanto certè meliori conditione ſim ego, quam aduerſarius, in quẽ ſcribo; cum ego ve-
ritatis

citatis, ille vanitatis ac mendacii patronus sit. Denique hoc etiam me perpulit, quod è Cardinalibus, qui à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, nostræ Societatis amantissimo, ac Parente optimè de nobis merito, in numerum Cardinalium asscripti sunt, vnus ferè sis reliquus: ideoq; cũ illi, qui iam vita mortali functus est, obsequia nostra, qualiacunque ea sint, offerre non possimus; Tibi saltem, qui ab eo superstes es, merito offerri posse ac debere, sum arbitratus. Nec dubito, qui in optimam partem, quidquid à me, debita submissione factum fuerit

fuerit, pro singulari tua humanitate accepturus sis: Deumq; precor, vt Illustrissimam D.V. sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & nobis omnib. diu seruet incolumem. Moguntiæ ex Archiepiscopali Societatis Iesu Collegio, die 29. Martii Anno 1613.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ D.V.
Seruus in Christo

MARTINVS
BECANVS.

LECTO-

LECTORI CATHOLICO.

VIDE, obſecro, ingenium aduerſariorũ. Nullo loco norunt conſiſtere; ſed perpetuo quaſi deſultu, nunc hic, nunc alibi nos inuadunt. Initio de Purgatorio, Miſſa, Euchariſtia; mox de iuſtificatione, gratia, libero arbitrio, prædeſtinatione, & ſimilibus articulis, litem nobis intenderunt. Nunc quia omnia iſta diligenter à noſtris diſcuſſa & illuſtrata ſunt; ijs relictis, ad alia oppugnanda ſe

con-

conuertunt. Ac potiſſimum, in poteſtate Pontificis, ſi non euertendâ, quod nũquam fiet, ſaltem diuexanda, omnem operam ac laborem ponunt. Et verò, tam petulanter, proteruè & imodeſtè ſe gerunt; ac ſi omnis illorum victoria in eo ſita eſſet, vt quo quiſq; ad dicendum proiectior & audacior eſt, eo maiorem laudem apud ſui ſimiles mereri poſſit. Sed, ſicut in aliis controuerſijs, ita in hac etiã breui conticeſcent: Et nos, partim modeſtiâ, partim veritatis propugnãdæ ſtudio, hoc tandem aſſequemur, vt Eccleſia Catholica, diſcuſſis erroribus, priſtino nitori ac

paci

paci restituatur. Quod faxit ille, qui potest, Deus Optimus Maximus, cui omnes nostri conatus deseruiunt.

STA-

APPROBATIO

R. P. PROVINCIALIS IN PROVINCIA RHENANA.

HAnc Controuersiam Anglicanam P. Martini Becani, *De Potestate Pontificis & Regis*, Recognitam & auctam, necnon à deputatis ad id Theologis lectã & approbatam, Ego quoq; Henricus Scherenus, Societatis Iesu apud Rhenum Prouincialis approbo, & concessa mihi potestate ab admodum R. P. N. Claudio Aquauiua, Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto. Moguntiæ, Anno M. DC. XIII. in Martio.

HENRICVS SCHERENVS.

STATVS CONTROVERSIÆ ANGLICANÆ.

SERENISSIMVS ET Potentissimus magnæ Britanniæ Rex Iacobus, ante aliquot annos proposuit suis subditis in Anglia duplex iuramentum: alterum, quo Primatum Regis in Ecclesia; alterū, quo fidelitatē suam erga Regem, contestarentur. Hinc duplex orta controuersia. Ex priori quidem iuramento hæc; An Rex Iacobus habeat Primatum Ecclesiæ in suo regno? Ex posteriori hæc; An Pontifex possit prohibere Catholicis in Anglia, ne præstent iuramentum fidelitatis, sub ea verborum forma, qua illis propositum est

2. De vtraq; controuersia, Rex ita sentit. Primo, se in suo regno, non modo

in rebus temporalibus ac politicis, ſed etiam in ſpiritualibus & eccleſiaſticis, Primatum ſeu Suprematum obtinere. Secundo, Pontificem non habere poteſtatem prohibendi Catholicis in Anglia, ne præſtent Regi iuramẽtum fidelitatis, ſub ea forma, qua ipſis propoſitum eſt. Tertio, ſe, generatim loquendo, nulla ex parte, Pontifice inferiorem eſſe. Hæc tria perſequitur in Apologia ſua pro iuramento fidelitatis, & in Monitoria Præfatione, quæ poſtea Apologiæ adiecta eſt.

3. Catholici opponunt ſe Regi in his tribus capitibus, præſertim Cardinalis Bellarminus, Gretſerus, Eudæmon Ioannes, Pacenius, Coquæus, Scioppius, alii. Et ego aliquot libellos de hac re ſcripſi. Regem defendunt Epiſcopus Elienſis, & Decanus Lichefeldenſis. Et potiſſimum fundant ſe in Veteri Teſtamento. Aiunt Primatum Regium non eſſe rem nouam, & nuper ab Henrico Octauo primum excogitatã, vt nos obiicimus; ſed antiquã, quę olim à Regibus Hebræorum legitimè vſurpata ſit. Reges illos, non modo in tẽporalibus; ſed

etiã in ſpiritualib. fuiſſe ſupra Pontifices. Idem nũc fieri in Anglia. Et, ſi alibi nõ fiat, fieri tamen poſſe ac oportere. Sic illi.

4. Decano nuper reſponſum à me eſt. Nunc cum Epiſcopo rem tranſigã. Et, quia ille obiicit, Cardinalẽ Bellarminum vix attigiſſe cardinem controuerſiæ (quod tamen non ita eſt) ſtatui rem totam perſpicuè, & ſine ambagibus, proponere & explicare. Ac primum, vt ſubuertam eorum fundamentũ, quo maximè videntur niti, agam de comparatione Regis & Pontificis in veteri Teſtamento. Deinde, oſtendam iuramentum Primatus eccleſiaſtici, nec proponi à Rege, nec à ſubditis præſtari poſſe. Tertio, nec iuramentum fidelitatis, ſub ea quidem forma, qua propoſitum eſt pręſtari poſſe à Catholicis; & Pontificem rectè feciſſe, quod eos, ne præſtarent, paternè hortatus ſit.

5. Et hęc quidẽ tria capita principalia ſunt in hac cõtrouerſia. Cæterũ, quia multa alia, vt fieri ſolet inter diſceptandum, vtrinq; inciderunt, ea quoq; breuiter, quantũ opus erit, attingam: ac po

tiſsimum, quæ in libro Epiſcopi Elienſis cōtra Cardinalem Bellarminum ſcripta ſunt, ſtrictim examinabo. Igitur ſeries eorum de quibus acturus ſum, erit hæc.

---

1. *De Comparatione Regis & Pontificis in veteri Teſtamento.*
2. *De Iuramento Primatus Regij.*
3. *De Iuramento Fidelitatis.*
4. *De iis, quæ continentur in libro Epiſcopi Elienſis, contra Cardinalem Bellarminum.*

His 4. capitibus adiuncta erit Appendix de Puritanis, in qua diſputabitur, qui & quales ſint Puritani? & quid Rex, quid Sacellanus, quid alii in Anglia de illis ſentiant.

INDEX

INDEX HORVM CAPITVM.

HVNC Indicem in gratiam Lectoris adiicere volui, vt ex eo intelligat, quid, auctarij loco, in hac secunda editione additum sit, præsertim in cap. 4. vbi contra Pseudoepiscopum disceptatur.

CAPVT I.

In hoc capite agitur de Cōparatione Regis & Pontificis in veteri Testamēto. Quæ quidem comparatio non eo spectat, quasi eadem sit ratio veteris ac noui testamenti; sed eo potius, vt intelligant aduersarij in Anglia, qui semper vrgent exemplum veteris testamenti, se nihil inde prçsidij habere posse, vt etiam paulo post monebo. Porro in hac comparatione quæritur

1. *An Pontifex in V. T. præcelluerit Regi, titulo originis & antiquitatis.*
2. *An titulo familiæ.*
3. *An titulo inaugurationis.*

4. *An titulo unctionis.*
5. *An titulo ornatus.*
6. *An titulo officij.*
7. *An titulo exemptionis.*
8. *An titulo authoritatis apud populum.*

CAPVT II.

Hic agitur de Iuramento Primatus Regii, quod Rex Angliæ proponit & exigit à ſubditis. Et quæritur.

1. *Quid Catholici ſentiant de Primatu Regio.*
2. *Quid Puritani.*
3. *Quid Henriciani.*

Hinc tandem concludetur, quid de Iuramento Primatus Regii dicendum ſit? id eſt, an catholici, an Puritani, an Henriciani, bona conſcientia præſtare id poſsint.

CAPVT III.

Hic agitur de Iuramento fidelitatis, quod Rex Angliæ exigit à ſuis ſubditis.

Et quia

Et quia multa continentur in hoc Iuramento, quæ catholicis non placent, de his disserendum est. Et quæritur

1. *An Pontifex possit Regem, qui id meritus sit, excommunicare.*
2. *An etiam deponere.*
3. *Quo iure id possit.*
4. *Quibus ex causis.*

Hinc etiam constabit, quid de Iuramento fidelitatis sentiendum sit? id est, an catholici, salua conscientia, præstare id possint.

CAPVT IV.

Hic discutiuntur ea, quæ habet Episcopus Eliensis in suo libro contra Cardinalem Bellarminum. Et quæritur

1. *An Primatus Regis probari possit ex veteri Testamento.*
2. *Quam antiquus sit Primatus Regis.*
3. *An sit articulus fidei de Primatu Regis.*
4. *Cur solus Rex Angliæ vsurpet sibi Primatum.*

5. *Cur Carthusiani noluerint iurare in Primatum Henrici Octaui.*
6. *An Rex Angliæ dici possit Defensor & Propagator fidei Catholicæ.*
7. *An nulla ex parte sit inferior Pontifice.*
8. *An sit ouis Petri.*
9. *An regnum Angliæ sit feudum Pontificis.*
10. *An Ecclesia habeat aliquod ius in excommunicatos.*
11. *An fuerit aliquis successor Petri.*
12. *Quam antiqui sint Cardinales.*
13. *An Episcopus ex institutione Christi sit maior presbytero.*
14. *Quid sentiendum de conciliis generalibus hactenus celebratis.*
15. *Quale debeat esse concilium generale.*
16. *An Bellarminus sibi contradixerit.*
17. *An aliquid immodestè scripserit.*
18. *An sit Apostata ordinis.*
19. *An canonistæ sint parasiti Cardinalium.*
20. *An Sancti intercedant pro nobis.*
21. *An sint inuocandi.*
22. *Quid senserit Ambrosius de Transubstantiatione.*

23. Quid

Ex hoc Indice facile aduertet Lector, aliquot quæstiones in hoc postremo capite additas esse, quæ in prima editione non fuerunt. Legat & boni consulat.

CAPVT I.

De Comparatione Regis & Pontificis in veteri Testamento.

HÆc comparatio hoc loco instituenda est propter importunitatem aduersariorũ in Anglia. Illi enim pro certissimo fundamento ponunt, eandem nunc esse proportionem Regis & Pontificis in nouo Testamento, quæ olim fuit in veteri. Vnde sic colligunt; Rex in veteri testamento, nulla ex parte, fuit inferior Pontifice, sed simpliciter & abso-

lute ſuperior: Ergo idem dicendum eſt de Rege noui Teſtamenti. Non diſputabo, an hoc fundamentum verum ſit, necne. Scio multos negare. Solum oſtendam, ex hoc ipſo fundamẽto, quod illi tantopere vrgent, contrarium colligi poſſe, hoc modo; Rex in veteri teſtamento, multis partibus ac titulis, fuit inferior Pontifice: Ergo, ſi eſt eadem proportio veteris ac noui Teſtamenti, etiam in nouo, multis partibus ac titulis erit inferior. Antecedens patet, quia Pontifex præcelluit Regi, his titulis. 1. originis & antiquitatis, 2. familiæ 3. inaugurationis. 4. vnctionis. 5. ornatus. 6. officii. 7. exemptionis. 8. authoritatis apud populum. Singula per ſingulas quæſtiones demonſtranda ſunt. Sit ergo

I. QVÆ-

I. QVÆSTIO

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo originis & antiquitatis.

1. VTroque præcelluit. Primum quidem, titulo originis. Nam Pōtificatus habuit originem ſuam à ſolo Deo; regnum ex importunitate populi. Deus enim ex ſe, quaſi proprio motu, inſtituit Aaronem Pontificem in Eccleſia Hebræorum, cum perpetuo iure ſucceſſionis (Hebr. 5. 4.) At Regem non tam ipſe inſtituit, quam petenti & murmuranti populo, in pœnam ipſorū conceſſit. (1. Reg. 8. 4.) Et ægre conceſſit. Quod ex triplici capite colligi poteſt. Primo quia conatus eſt illis perſuadere, ne peterent. (ibidem, v. 11.) Secundo, quia prædixit fore, vt aliquando pœniteat ipſos ſuæ petitionis. (ibidem, v. 18.) Tertio, quia miraculo oſtendit, petitionem ſibi diſplicere (1. Reg. 12. 16.) Sic enim ibi legimus: *Dixit Samuel ad vniuerſū Iſrael: State & videte rem iſtam grā-*

dem

dem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum & dabit voces & pluuias & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelē, & dixit vniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur. Addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem.

2. Præcelluit etiam titulo antiquitatis. Nam primus Pontifex fuit Aaron qui tempore Mosis à Deo speciatim electus, & à Mose consecratus est, statim post egressum populi ex Ægypto. (Leu. 8. 1.) At primus Rex fuit Saul, quem cōstat amplius, quàm 400. annis post Mosen, secutum esse. Vixit enim tempore Samuelis, à quo etiam vnctus est. Porro inter Mosen & Samuelē intercesserunt hi Iudices, Iosue, Othoniel, Aod, Barac Gedeō, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Ahialō, Abdon, Sampsō, Heli.

II. QVAE-

II. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo familiæ.

1 CErtũ est, præcelluisse. Primo, quia Pontifex assumebatur ex sola tribu Leui, quæ, quod speciatim consecrata esset diuino cultui, habebatur inter omnes tribus honoratissima. At Rex, ex qualibet tribu assumi poterat, Saul fuit ex tribu Beniamin; Dauid cum posteris ex tribu Iuda; Ieroboam ex tribu Ephraim; Baaza ex tribu Issachar; & sic deinceps. Porro, tanta erat præcellentia tribus Leuiticæ præ aliis, vt Pontifex non posset accipere vxorẽ ex aliis tribubus, eo quod essent infra statum & dignitatẽ connubii Pontificalis, vt patet Leuit. 21. 14. vbi de Pontifice sic dicitur: *Accipiet puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ*, id est, accipiet vxorem ex tribu Leui, non ex aliis tribubus. Nam aliæ tribus sunt quasi vulgus, si conferantur cum tribu Leui.

Non

Non decet autem, Vt Principes & Magnates accipiant vxores ex communi hominum plebe. Erat tamen aliqua dispẽsatio in hac re. Nam Pontifex poterat accipere vxorem ex familia Regia, si vellet. Hoc fecit Ioiada Pontifex; qui habuit Iosabeth filiam Regis Ioram. & sororẽ Regis Ochoziæ. (2. Paralip. 22. 11.) Erat autem illa dispensatio cõcessa propter has causas. Primo, quia dignitas Regia proximè accedebat ad Põtificalem. Secundo, quia facilius poterat seruari pax in communi populo, si Reges & Põtifices, per connubia inter se conspirarent: Tertio, minus erat periculum idololatriæ. Nam Reges, qui Pontifici coniuncti erant, nõ facile recedebant à cultu & religione veri Dei. Vide Lyranum in caput vltimum Numerorum.

2. Secundo, Pontifex nõ assumebatur ex qualibet familia tribus Leuiticæ, sed ex sola familia Aaronis: nec quilibet promiscuè ex familia Aaronis: sed primogenitus, carens omni macula & deformitate. (Leuit. 21. 17.) At in Regibus nõ habe-

habebatur ratio primogenituræ. Certè Dauid, Salomon, & plures alii non fuerunt primogeniti. Multo minus habebatur ratio maculæ aut deformitatis. Nusquam legimus, aliquē propter maculā aut deformitatem à regno exclusum esse. Aliud est de lepra. Ozias, propter lepram, quia morbus contagiosus esti ab aliorū contubernio fuit merito segregatus. (2. Paralip. 26. 21.)

3. Tertio, Hoc etiam facit ad prærogatiuam & honestatē familiæ Pontificalis, quod non licuerit Pontifici in vxorē accipere viduam, aut repudiatam, aut sordidam, aut meretricē sed tantum virginem de populo suo, iuxta illud Leuit. 21. 13. *Virginem ducet vxorem. Viduam autem & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet sed puellam de populo suo*. Hoc in Regibus nō seruabatur. Dauid accepit viduam & adulterā. Vidua erat Abigail; adultera, Bethsabee. Et ex hoc capite, non solum Regibus, sed etiam Sacerdotibus præcellebat pontifex. Nam & Sacerdotes poterant accipere viduas, quod pontifici, propter dignitatem status, non licebat.

III. QVÆS-

III. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo Inaugurationis.

1. NEMO dubitat. Nam Pontificis inauguratio, ex ſpeciali Dei cura & mandato, fiebat cum ſolenni pompa ac ceremonia, præſente vniuerſo populo, & durabat totis ſeptem diebus. (Exodi 29. & Leuit. 8. per totum.) Fiebat autem hoc ordine. Primo, Pontifex toto corpore lauabatur. Secundo, poſt lotionem, ornatu Pontificali induebatur. Tertio, vngebatur oleo vnctionis in capite. Quarto, in extremo auriculæ dextræ, & ſimiliter in pollice manus ac pedis dextri, tingebatur ſanguine arietis immolati. Quinto, tã ipſe, quàm veſtes eius, ſanguine arietis, & oleo vnctionis aſpergebantur. Denique, vt maior eſſet ſolennitas totius actionis, triplex in ea ſacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hoſtiam pro peccato. 2. Aries vnus in holocauſtum. 3. Aries alter in hoſtiam pacificam. Et hoc per ſeptem dies, iuxta illud

illud Exodi 29. 3 *Oĩa quæ præcepi tibi, facies super Aaron & filiis eius. Septem diebus cõsecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum.* Et Leuit. 8. 33. *De ostio Tabernaculi non exibitis septem diebus, vsque ad diem, quo cõplebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio.*

2. De Regis inauguratione nihil certum aut stabile erat statutum à Deo. Legimus quidẽ aliquos, fuisse vnctos; alios fausta populi acclamatione assumptos; alios per Pontificem introductos: sed nusquam legimus, mandatum fuisse à Deo, vt omnes certo ritu ac ceremonia inaugurarentur. Imo constat, plerosque sine vlla solennitate, vel solo titulo successionis accepisse regnum; vel per vim & fraudem inuasisse. Vncti sunt Saul, Dauid, Salomon, Ioas, Iehu: acclamatum à populo, Salomoni & quibusdam aliis: per Pontificem introductus Ioas: per vim & fraudem ingressi Baaza, Zambri, Sellum, Manahem, Phacees, Osee, & plures alii.

3. Nullius inauguratio fuit tam solẽ-

nis quàm Salomonis, quæ deſcribitur 3. Reg. 1. 38. his verbis; *Deſcendit ergo Sadoc Sacerdos & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiatæ, & Cerethi & phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis Dauid & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de Tabernaculo, & vnxit Salomonem. Et cecinerunt buccina & dixit omnis populus: Viuat Rex Salomon. Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* Sed tamen neq; hæc ſolennitas erat à Deo præſcripta, nec ab omnibus Regibus ſeruata, nec comparanda cum ſolennitate inaugurationis Pontificum. Primo, quia inauguratio Pontificum durabat ſeptem diebus. Secundo, fiebat coram Tabernaculo & Sanctuario. Tertio, conſtabat pluribus ritibus ac ceremoniis. Quarto, quotidie triplici ſacrificio, per ſeptem dies honorabatur. Nihil tale apud Reges.

IV. QVÆ-

IV. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo vnctionis.

OMnino præcelluit. Et quidem tripliciter. Primo, quia omnes Pontifices ex præscripto Dei vngebantur, & nisi vncti essent, non admittebantur ad officium Pontificale. (Exodi 26. & Leuiticorum. 8.) At nullum extabat præceptum Dei, quo omnes Reges ad vnctionem astringerentur. Nec legimus vnctos esse, nisi paucos. Ex Regibus Iuda, vncti sunt Saul, Dauid, Salomon, Ioas. Ex Regibus Israel, Iehu. De cæteris, an vncti sint, non constat. Et verisimile est, plerosque non esse.

2. Secundo, Pontifices vngebantur publicè corā populo apud Tabernaculum Domini. (Leuitic. 8. v. 12.) At Reges, si qui vngebātur, nō omnes publicè vngebantur. Certè Saul, Dauid, Iehu; priuatim vncti sunt. Saul à Samuele, in extrema parte ciuitatis, nullo alio præ-

ſente (1 Regum. 9. 27, Dauid ab eodem Samuele, in domo patris ſui, in Bethlehem. (1. Regum. 16. 13.) Iehu à filio Prophetæ, in cubiculo ſeorſim. (4. Regum. 9. 6.

3. Tertio, quod præcipuum eſt, Pontifices vngebantur oleo ſancto, id eſt, vnguento conpoſito ex oleo, myrrha, cinnamomo, calamo, caſia. (Exodi 30. 23.) At Reges, oleo ſimplici & communi. Quod, tametſi aliqui negent, veriſſimũ tamen eſt. Et tribus argumentis probari poteſt. Primum ſumitur ex lege Dei. Nam Deus præceperat, vt nullus hominum vngeretur oleo ſancto, niſi Pontifex & Sacerdotes. Sic enim legimus, Exodi 30. 30. *Aaron & filios eius vnges; ſanctificabiſque eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. Filijs quoque Iſrael dices. Hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras: Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctũ erit vobis. Homo, quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Ex quo pręcepto, duo colligimus

gimus. Primo, quod nemo prçter Aaronem & filios eius, id est, præter Pontificem & Sacerdotes, potuerit vngi oleo sancto, quod ex variis aromatibus confectum erat. Secundo, quod nulli licuerit conficere simile oleum, aut alicui extraneo communicare.

4. Alterum argumentũ sumitur ex phrasi Scripturæ. Nam oleum sanctum, quo Pontifex & Sacerdotes vngebãtur, nunquam in Scriptura appellatur *oleum* absolutè & simpliciter, sed *oleum vnctionis*, vel *oleum vnctionis sanctum*, vel *oleum sanctæ vnctionis*, vt Exodi 29. 7. *oleum vnctionis fũdes super caput eius*. Et cap. 30. 25 *Faciesque vnctionis oleum sanctum, vnguẽtum compositũ opere vnguentarii.* Et infra vers. 31. *Hoc oleum vnctionis sanctum erit vobis*. Et Leuitic. 8. 10. *Tulit vnctionis oleum, quo liniuit Tabernaculum cum omni supellectile sua.* Et cap. 21. 12. *Oleũ sanctæ vnctionis Dei sui super eum est*. Et alibi sæpius, Et ratio est, quia non erat oleum simplex ac purum, sed vnguentum confectum ex oleo & variis aromatibus, vt iam ante dixi; ac proinde, non *oleum* sim-

pliciter, ſed *oleum vnctionis*, *vel vnguentum* appellari debuit. At oleum, quo Reges vngebantur, nunquam appellatur *oleum vnctionis*; ſed *oleum* ſimpliciter & abſolutè, quia non erat cõpoſitum ex oleo & aromatibus, ſed purum ac ſimplex oleum, vt 1. Reg. 10. 1. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius*, id eſt, Saulis. Et ca. 16. 1. *Dixit Dominus ad Samuelem: Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi Regem*. Et infra verſ. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit Dauidem in medio fratrum eius*. Et 4. Reg 9. 1. *Heliſæus vocauit vnum de filiis Prophetarum, & ait illi: Tolle lenticulam olei, & vade in Rameth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Iehu, filium Ioſaphat*. Et paulò poſt. *Tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te Regem ſuper Iſraël.* Hinc optimè concludo, Reges non fuiſſe vnctos oleo ſancto, quo Pontifex vngebatur, ſed puro, ſimplici ac vulgari.

5. Ad

5. Ad maiorem explicationem huius argumenti, notandum est, in Scriptura Veteris Testamenti, præsertim quæ ad ceremonias Iudæorum spectat, quadruplex oleum reperiri. Primum, quo vtebātur in lucernis candelabri aurei, iuxta altare thymiamatis. Alterum, quod adhibebatur in sacrificiis. Tertiũ, quo vngebantur Reges & Prophetæ. Quartum, quo Pontifices & Sacerdotes. Hoc vltimum, quotiescunque de eo fit mentio, vocatur *oleum vnctionis*, vel *oleum sanctæ vnctionis*, vt dixi. Reliqua, nudo ac simplici nomine olei contenta sunt. Hoc satis ostensum est de oleo Regum. De oleo lucernarum, patet ex illo, Leuitic. vicesimo quarto, v. secundo. *Præcipe filiis Israel vt adferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter.* De oleo sacrificiorum, ex illo, Leuiticor. 2. 1. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino simila erit eius oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus.*

6. Tertium argumẽtum sumitur ex illis verbis, Leuitic. 21. 10. *Pontifex, id est,*

Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusq; est sanctis vestibus; caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoq; suo & matre non contaminabitur: Nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleũ sanctæ vnctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. In quib. verbis continetur hæc lex, vt Pontifex externo ritu non lugeat mortuos, nec egressus à Sanctuario, prosequatur funera mortuorum, ne quidẽ parentum suorum. Et ratio legis additur, quia oleum sanctæ vnctionis fusum est super caput eius; ac proinde nullo modo debet contaminari. Contaminaretur autẽ, si lugeret mortuos, aut funera eorum prosequeretur. Nunc sic argumẽtor. ideo Pontifex nõ poterat lugere mortuos & eorum funera prosequi, quia oleum sanctæ vnctionis fusum erat super caput eius; At Reges poterãt lugere mortuos, & prosequi funera mortuorum. (Hoc enim Dauid fecit in morte Saulis & Ionathæ.)

nathæ.) Ergo oleum ſanctæ vnctionis non erat fuſum ſuper caput eorum.

7. Vbi notandum eſt diſcrimen inter Pontificem, Sacerdotes & Reges. Solus Pontifex vngebatur oleo vnctionis in capite, & ideo non lugebat vllos mortuos, ne quidem parentes. Sacerdotes non vngebantur quidem in capite, ſed tamen in veſtibus aſpergebantur, partim ſanguine arietis immolati, partim oleo ſanctæ vnctionis. (Exod. 29. 21.) Et ideo poterant quidem lugere propinquos & conſanguineos, non tamen alios. (Leuiticor. 21. 2.) Reges, nec in capite, nec in veſtibus habebant oleum ſanctæ vnctionis, ſed oleum ſimplex & vulgare; & ideo poterant lugere omnes mortuos, quos volebant.

8. Pręter hęc tria argumēta, quæ videntur eſſe ſolida, accedunt alia tria nō quidem æquè efficacia, ſed tamen valdè probabilia. Primum, quia oleum ſanctum non poterat attrectari, niſi à Pontifice & Sacerdotibus: at Saul, Dauid, & Iehu, non ſunt vncti à Pontifice vel Sacerdotibus, ſed à Prophetis: non ergo

vncti sunt oleo sancto. Alterum quia Elias Propheta a Deo iussus est vngere Iehu in Regem Israel, & Hazaelem in Regem Syriæ, & Helisæum in Prophetam (3. Regum. 19:15.) Et verisimile est, quod ex eadem lenticula vel cornu olei potuisset eos vngere. At Hazaelem nõ poterat vngere oleo sancto, quia erat homo gentilis: Ergo verisimile est, nec Iehu, nec Helisæũ oleo sancto, sed simplici vnctos esse. Tertium, quia Dauid ter vnctus est. Primo, à Samuele, in Bethlehem, in domo patris sui (1. Reg. 19. 13.) Secundo, in Hebron, in regem Iuda. (2. Reg. 2. 4.) Tertio, in Hebron, in Regem Israel (2. Reg. 5. 3.) Nec credibile est, toties vnctũ esse oleo sancto; quia ne quidem Pontifex, pro quo factum erat oleum sanctum, toties vngebatur.

9. DICES; Quomodo ergo Salomon vnctus est oleo sancto, si nemo alius, nisi Pontifex & sacerdotes, poterat eo vngi? Sic enim de eo scriptum est, 3. Reg. 1. 39 *Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & vnxit Salomonem.* At oleum quod in Tabernaculo asseruabatur, erat san-

rat sanctũ. Respond. Authores hic dissentiunt Aliqui putant, Salomonem ex peculiari dispensatione vnctũ esse oleo sancto: Alij rectius id negant, asserentes in Tabernaculo duplex oleum fuisse asseruatum: alterum confectum ex aromatibus, quo Pontifices & Sacerdotes; alterum simplex, quo Reges & Prophetæ vngebantur.

V. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo ornamentorum?

1. HOc disertè affirmat Ecclesiasticus ca. 45. vbi cum sigillatim descripsisset ornamenta Aaronis Pontificis, tandem subiungit, nunquam ab initio mundi fuisse illis similia, nec deinceps fore aliquem, extra numerum Pontificum, qui similibus vsurus sit. Verba eius sunt hæc: *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia vsque ad originem; Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, & nepotes eius per omne tempus.* Et hoc

hoc facile demonstrari potest. Erant enim octo ornamenta Pontificis. Primũ, feminalia linea. Secundũ, vestis linea, seu subucula, quæ & linea stricta dicebatur. Tertium, Tunica hyacinthina, in cuius inferiori fimbria per circuitum pendebant alternatim mala punica & tintinnabula aurea, vt ex eorum sonitu perciperetur ingressus & egressus Pontificis, quando intrabat vel exibat Sanctuarium. Quartum, balteus seu cingulum, quo stringebatur tunica inter vmbilicum & pectus. Quintum, Ephod, seu superhumerale, quod tegebat humeros & anteriorem partem vsq; ad cingulum. Erat autem cõtextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta. In vtroque latere versus humeros habebat duos lapides onychinos, auro inclusos: in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel: sex nomina in vno lapide, & sex in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Sextum, Rationale iudicii, quod anteriori parti Superhumeralis, ad pectus Pontificis, affixum erat. Conficiebatur autem

exea-

x eadem materia, qua Ephod, nempe x auro, hyacintho, purpura, cocco bis nĉto, & byſſo retorta. Figura, quadrã-ulum: denſitate, duplex ad Ephod re-ıtũ: longitudine, & latitudine menſura almi. In eo erant duodecim lapides pre oſi, incluſi auro, & diſtincti per quatu-r ordines: In quibus etiam ſculpta erãt uodecim nomina filiorũ Iſrael. Septi-ıum, Tiara, ſeu diadema in capite Pon-ficis. Octauum, Lamina aurea, Diade-ıati, ſupra frontem Pontificis affixa, um hac inſcriptione, *Sanctum Domino.* Hæc omnia habentur, Exod. 28. per to-um.

2. Nihil ſimile habebant Reges. Nec liud ferè de illis legimus, quam quod ɔliti ſint geſtare diadema in capite. Nec amen de omnibus, ſed de tribus dunta-at hoc legimus, nempe de Saule, Daui-le, & Ioas. Et quidẽ Saul habuit diade-ıa in capite, quando occiſus eſt in bello ontra Philiſtinos. Quod diadema po-ea à quodam adoleſcente allatum eſt d Dauidem, iuxta illud, 2. Reg. 1. 10. *Et it adoleſcens, Tuli diadema, quod erat in ca-*

pite

pite eius, & attuli ad te Dominum meũ hũc. Dauid autem, cum expugnasset Rabba; ciuitatem Ammonitarum, & accepisset coronam idoli Melchom, fecit sibi inde diadema, vt patet ex illo, 1. Paralip. 20.2: *Tulit autem Dauid coronam de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.* Denique, de Ioas sic legimus, 2. Paralip. 23.11. *Eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema.* At quæ est proportio diadematis Regij cum tam multiplici ornatu Pontificali?

VI. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo officij?

1. CONstat, multis modis præcelluisse. Primo, quia officiũ Pontificis erat excellentius, quam Regis. Secundo, quia Pontifex in suo officio non dependebat à Rege; & tamen Rex sæpè dependebat à Pontifice. Tertio, quia Pontifex, præter suum officium Pontificale, poterat

etiam

etiam præſtare ea, quæ ad officium Regis pertinebant; non tamen Rex poterat præſtare , quæ ad officium Pontificis ſpectabant, quia in omnibus controuerſiis legalibus, tam Eccleſiaſticis, quam politicis, ſupremus Iudex erat Pontifex, non Rex. Quinto, quia Iuriſdictio Pontificis latius patebat, quam Regis. Hęc ſingula paulo accuratius explicanda ſunt. Nam in his potiſſimum conſiſtit prærogatiua Pontificis præ Rege. Sit ergo

2. PRIMA CONCLVSIO. Officium Pontificis in lege Moſaica fuit excellentius multo, quam Regis. Ratio eſt, quia officiũ Pontificis erat ſpirituale; Regis, temporale. Ad Pontificem pertinebat, intrare in Sanctuarium , offerre Deo ſacrificia, expiare populum à peccatis, cõſecrare Leuitas & Sacerdotes, legem Dei interpretari , in rebus dubiis reſponſa à Deo accipere. Ad Regem, prępeſſe populo in temporalib. conſeruare iuſtitiam ciuilem, ſuſcipere bellum contra hoſtes Nam ad hæc præſtanda , petiuerant filii Iſrael, ſibi dari Regem, vt habetur, 1. Regum 8. 19. his verbis : *Noluit populus audire*

dire

dire vocem Samuelis, sed dixerunt, Nequaquam. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes: Et iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Vide, quæ in hanc sententiam dicit Philo, quem citabimus in fine huius capitis, post quæstionem octauam.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Pontifex in suo officio non dependebat à Rege; & tamen Rex sæpè dependebat à Pontifice. Prior pars probatur, quia Pōtifex poterat omnia præstare, quæ ad suum officium pertinebant, sine vllo subsidio Regis. Poterat enim intrare Sanctuarium, offerre sacrificia, expiare populum, consecrare Leuitas & Sacerdotes, legem interpretari, Deum consulere. Et in his omnibus non indigebat subsidio Regis. Posterior pars probatur ex contrario principio. Nam Rex non poterat omnia præstare, quæ ad officium suum pertinebant, sine subsidio Pōtificis. Non enim poterat suscipere bellum, aut aliam rem magni momenti aggredi, nisi prius consulto per Pontifi-

cem

em oraculo. Sic enim pręceperat Deus, lum. 27. 21. his verbis: *pro hoc*, (Iosue, vel uocunque alio principe sæculari) *si uid agendum erit*, *Eleazar sacerdos consu-t Dominum. Ad verbum illius* (Eleazari) *rredietur & ingredietur ipse, & omnes filii rael cum eo, & cætera multitudo.* Sensus ſt. Iosue, qui erit princeps populi, non rogredietur cum exercitu, nec susci-iet bellum cum vicinis hostibus, nec llam rem aliam magni momenti aggre-ietur, nisi ad mandatum & directionẽ leazari pontificis, qui in huiusmodi ca-bus, quid faciendum sit, à Deo sciſci-ıbitur, & Iosuã deinde certiorem faciet.

4. Porro, nõ solus Iosue, sed alii quoq; rincipes ac Reges, qui deinceps secuti ınt, hoc præcepto obligabantur. Sem-er in negotiis arduis debebant recurre-: ad Pontificem: & ex arbitrio illius vel gere quippiam, vel omittere. Et benè ım iis actum eſt, qui hoc fecerunt: malè ĭ iis, qui neglexerunt. Exempla prioris eneris sunt hæc. Primo, Dauid Rex, cũ ıtellexisset insidias sibi parari à Saule, ac-essit ad Abiathar Pontificem, & per eũ uæsiuit à Deo, an tuto posſit esse in vrbe

D Ceila?

Ceila? an ciues Ceilitæ essent eum traditurі Sauli? (1. Reg. 23. 9.) Secundo, idē Dauid, alio tempore, per eundem Pontificē consuluit Deum, an deberet persequi Amalecitas, qui spoliauerant & succenderant vrbem Siceleg? (1. Reg. 30. 6. Quod autem Dauidi familiare fuerit, hoc modo, Deum interrogare, patet 1. Reg. 22. 15. vbi Achimelech Pontifex accusatus apud Saulem, quod Dauidi adhæreret, & pro eo Dominum consuluisset, respondit Regi: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* q. d. sæpè ante hæc tempora id feci.

5. Exempla posterioris generis sunt hæc. Primo, Iosue & alii principes filiorũ Israel, decepti sunt à Gabaonitis, eo quod fœdus cum illis pacti essent, non consulto prius per Pontificem Deo. (Iosue 9. 14.) Secundo, Saul elatus victoria, & præfisus suis viribus, cum vellet, inconsulto Deo, Philistæos persequi, monitus à Pontifice est, ne id faceret. Et cùm postea cõsuluisset Deum, nullum responsum ab eo impetrauit. Itaq; non potuit vti victoria, sicut animo destinauerat. (1. Reg. 14. 36.) Tertio, filii Israel pugnaturi cum Beniamitis,

iamitis, conſuluerunt quidem Deum per Pontificem, ſed tamen, quia magis confidebant ſuis copiis, quam Dei oraculo, multi ex iis cæſi ac fugati ſunt. (Iudic. 20. 22.)

6. Quæres; quo modo vel ritu ſolitus ſit Pontifex conſulere Deum in huiuſmodi caſibus? Reſpondeo. Aliter Moſes, aliter alii pontifices, ſoliti ſunt id facere. Moſes, ingreſſus Tabernaculum fœderis, *facie ad faciem* cum Deo loquebatur, ſicut ſolet homo cū amico loqui. (Exodi 33. 11.) Alii Pontifices, qui poſtea ſecuti ſunt, induti Ephot, loquebantur cum Deo, non quidem facie ad faciem, ſed aliquo alio peculiari modo, de quo diſſentiunt Interpretes. Nam aliqui putant, Deum ſolitum eſſe reſpondere pontifici interroganti, per Angelum humana voce loquentem. Alii, per occultam Spiritus ſancti reuelationem. Alii, per ſchedulam. Alii, inter quos Ioſephus, per ſplendorem gemmarum ſeu lapidum, qui erant in Rationali ſupra pectus pontificis. Hoc ſic explicant: Si gemmæ plus ſolito ſplendeſcerent, ſignum erat, fœliciter ſucceſſurum, de quo quærebatur:

 ſimi-

si minus solito, malè successurum: si nec plus, nec minus, sed more naturali splendescerent, signum erat Deum non velle respondere. Et sic putant accidisse, quando Saul consuluit Deum per Pontificem.

7. TERTIA CONCLVSIO. Pontifex, prę-ter officium suum Pontificale, poterat etiam præstare ea, quæ ad officium Regis pertinebant; At Rex non poterat pręstare, quæ ad officium pontificis spectabant. Prior pars probatur exemplo Ioiadę Pontificis sanctissimi. Is omnia fecit, & fortasse plura, quam Rex facere potuisset. Nã generatim loquendo, Ioas filium Ioram constituit Regem, & Athaliam Reginã deposuit ac interfecit. Speciatim verò hæc gessit. Primò, conuocauit omnes Principes familiarũ Israel, Centuriones, Sacerdotes, Leuitas, & reliquam populi multitudinem: & dedit illis lanceas, clypeos, & reliqua arma ad bellum necessaria. Secundò, mandauit illis, vt Ioas filium Regis qui tunc erat puer septem annorum, susciperent in Regẽ. Tertio, vt hoc commodius & sine tumultu fieret, distribuit illos in certas classes. Nam aliquos

posuit

poſuit ad cuſtodiam portarum Sur; alios, ad cuſtodiam portæ fundamenti; alios ad cuſtodiam domus Regiæ: reliquũ populum voluit eſſe in atriis Templi Salomonis. Quarto ſpeciatim præcepit Leuitis, vt armati circumſtarent filium Regis, & quocunq; ille iret, ipſi comitarentur. Quinto, mandauit populo, qui erat in atriis Templi, vt inſtructi pugionibus, alii ſtarent ad dextram partem Templi, alii ad ſiniſtram, vt filius Regis per mediũ poſſit tranſire. Sexto, his ita conſtitutis ac diſpoſitis, adduxit filium Regis, & impoſuit diadema ſuper caput eius & vnxit eũ, & dedit in manu eius legem Deuter. & declarauit illum Regem, acclamante vniuerſo populo, *viuat Rex*. Septimo, declarato iam Rege, acceſſit ad Centuriones & principes exercitus, vt Athaliam Reginam educerent extra ſepta Templi, & gladio interficerent. Octauo, interfecta Athalia, pepigit fœdus cum nouo Rege & vniuerſo populo, vt omnes vnanimiter ſeruirent vero Deo, & idola deteſtarentur. Ac mox, vi huius fœderis, ingreſſi templum Baal, confregerunt altaria & ſimulachra, & Mathan ſacerdotem

Baal ante aras interfecerunt. Nono, constituit nouum ordinem in Templo Salomonis, & singulis Leuitis ac Sacerdotibus sua officia partitus est. Postremo, cũ omnia ex animi sententia successissent, conuocatis Centurionibus, Principibus, & vniuerso populo, nouum Regem ex domo Dei deduxit in domum Regiam, & collocauit eum in solio Regali. Hæc omnia habentur. 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. Et in his omnibus vsus est Ioiada pontifex imperio & authoritate pontificali. Quid amplius faceret Rex?

8. Posterior pars, quod nimirum Rex non potuerit ea præstare, quæ ad officiũ Pontificis pertinebant, facile probari potest inductione. Non enim poterat offerre sacrificia, nec intrare Sanctuariũ, nec expiare populum, nec cõsecrare Leuitas & Sacerdotes, nec legem Dei interpretari, nec in rebus dubiis, accepto rationali, responsa à Deo petere. Et si aliquid horum tentasset, reprehendebatur à Pontifice, & à Deo puniebatur. Habemus exemplum in Ozia Rege, qui cùm vellet adolere incensũ super altare thymiamatis; primũ à pontifice reprehensus, deinde le-

pra

pra percussus est. *Non est tui officii, Ozia* (dicebat Pontifex) *vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: Egredere de Sanctuario, ne contemseris.* (2. Paral. 26. 18.) Et paulo post; *Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus.* Porro, Deus tam ægrè tulit hoc factum Oziæ Regis, vt non solum leprâ, sed etiam terræ motu puniendum esse censuerit. (Zachariæ 14. 5.)

9. Nec dissimile exemplum est in Saule Rege, cũ enim irruentibus Philistæis, videret populum à se dilabi, putabat se rectè facturum, si ipse per se (cum Sacerdos non adesset) offerret holocaustum & pacifica, ad placandum Deum. Sed mox à Samuele reprehẽsus est, his verbis. *Stultè egisti.* (1. Reg. 13. 13.) Nec solum reprehensus, sed etiã punitus amissione regni. *Quod si non fecisses*, inquit Samuel, *iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suũ.*

10. QVARTA CONCLVSIO, Si aliqua

controuersia legalis fuisset orta, siue in reb. ecclesiasticis, siue in temporalibus, & inferiores Iudices, qui erant in singulis ciuitatibus, non potuissent in ea definienda, inter se conuenire; recurrendū erat ad Pontificem, tanquam ad supremū Iudicem, non autem ad Regem: Et omnes sub pœna mortis tenebantur Pontificis sententiæ acquiescere. Ita Iosephus lib. 2. contra Apionem, vbi sic habet; *Pontifex leges custodit, diiudicat controuersias, conuictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit tanquā in Deum impius.* Et manifestè colligitur ex illo, Deut. 17. 12. *Qui autē superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio; morietur homo ille & auferes malū de Israel.*

11. Hic aliqua notanda sunt. Primum est, quod duplices fuerint controuersiæ legales in populo Hebræorū: alię propriè pertinebant ad Sacerdotes, vt controuersia de lepra: aliæ ad magistratum politicum, vt cōtrouersia de sanguine (Deut. 17. 8.) Vtræq; dictæ sunt legales, duplici de causa. Primo, quia oriebantur ex ipsa lege, nō satis benè intellecta: priores quidē ex lege ceremoniali; posteriores verò ex iudiciali. (2. par. 19. 10.) Secundo, quia per

per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deut. 17.10.)

12. Alterum eſt, quod in ſingulis ciuitatibus conſtituti fuerint inferiores Iudices, qui ex officio debebant huiuſmodi controuerſias dirimere, vt habetur, Deut. 16.18. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iudico, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paralip. 19.5. *Conſtituit Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda.* Erant autem duo illorum genera: alij Sacerdotes, qui iudicabunt de controuerſijs ceremonialibus, vt de lepra: alij laici, qui de iudicialibus, vt de ſanguine.

13. Tertium eſt, quod quando inferiores Iudices non poterant inter ſe conuenire, nec controuerſias ad ſe delatas, propter peculiarem aliquam difficultatẽ, dirimere; neceſſe fuerit confugere Hieroſolymam ad ſuperiores Iudices, quibus, tanquam ſupremus Iudex, præſidebat Pontifex, & illius ſententiæ, ſub pœna mortis oportebat acquieſcere, iuxta illud Deuter. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſangui-*

nem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & Iudicum intra portas tuas videris verba variari. surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatē, Et mox additur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Quod intelligitur de summo Sacerdote seu Pontifice, qui alijs Sacerdotibus in iudicio præsidebat, vt clarius exprimitur, 2. Paral. 19. 11. his verbis: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit.*

14. Ex dictis constat, Pontificem, non Regem, fuisse supremum Iudicem controuersiarū legalium. Id enim & Scriptura testatur, & Iosephus. Et ratione demonstrari potest, hoc modo. Controuersiæ legales, quæ oriebantur ex lege Mosaica non satis benè intellecta, non poterant dirimi & diiudicari, nisi per veram legis Mosaicæ interpretationem. Ergo illius erat dirimere & diiudicare eiusmodi controuersias, cuius erat interpretari ipsam legem: At Sacerdotum, & maximè

ximè Pontificis, non autem Regum aut Principum sæcularium, erat interpretari legem: Ergo Sacerdotum, & maximè Pōtificis, non aliorū, erat dirimere & diiudicare cōtrouersias legales. Minor probatur ex illo Aggæi. 2. 12. *Hæc dicit Dominus: interroga sacerdotes legē*. Et Malach. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiā: & legē requirēt ex ore eius*. Nō ex ore Regis sed sacerdotis. Et causa mox additur: *Quia Angelus Domini exercituū est*. q. d. sacerdos est nūcius seu interpres diuinæ volūtatis. Igitur à sacerdote perēda est legis diuinæ interpretatio: Et omnes controuersiæ, quæ ex lege diuina oriri possunt, à sacerdote dirimendæ sunt.

15. Sed quæres, quare interpretatio legis & consequenter decisio controuersiarum legalium, pertinuerit potius ad Pontificem, quam ad Regem, aut quoscunque alios: Ratio dubitandi est, quia poterat fieri, vt non minus alii essent periti in lege quam Pontifex: imò etiam magis. Respondeo. Si spectemus industriam humanam, certum est, non minus alios, quam Pontificem, potuisse legem intelligere & interpretari:

Si

Si autem ſpectemus aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quæ potiſſimum in hoc nenegotio ſpectanda eſt, ei Pontifici potius, quam alijs, fuit promiſſa & communicata. Exemplum habemus in Moſe. Nam Deus conceſsit illi maiorem aſsiſtentiam quàm ſeptuaginta Senioribus, qui illi in hoc officio ſubſeruiebant. Hoc colligitur ex illo, Num, 11.17. *Dixit Dominus ad Moſen: Auferam de ſpiritu tuo tradamq́; eis vt ſuſtentent tecũ onus populi.* Vbi per ſpiritum intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiritur in ijs qui rectè volunt alios gubernare, & eorum controuerſias dirimere. Eſt ergo hic ſenſus: *Auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis,* id eſt, dabo illis donum gratiæ, ſed infra illud donum, quod tu habes: Tibi, qui ſupremus Iudex es, plus dari oportuit, quam illis, qui inferiores ſunt.

16. QVINTA CONCLVSIO. Pontificis Iuriſdictio in veteri Teſtamento latius patebat, quam Regis. Et quidem duplici ſenſu. Primo, quia ad plures cauſas ſe extendebat. Nam non ſolum controuerſiæ legales, in cauſis Eccleſiaſticis, ſed etiam in temporalibus, ſubiectę illi erant, vt iam dictum

dictum est. Secundo quia ad plures ho-
mines & loca se extendebat. Nam post
mortem Salomonis, facta regni diuisio
ne, Rex Iuda nihil habebat potestatis in
regno Israel; nec vicissim Rex Israel in re-
gno Iuda. At Pontifex in vtroque regno
habebat suam iurisdictionem. 1. quia in v-
troq; poterat exigere decimas, primitias,
& pretia primogenitorũ. 2. quia in vtroq;
habebat Leuitas sibi subiectos. 3. quia ad
illum, tanquam ad supremum Iudicem
pertinebant controuersiæ vtriusque re-
gni. Quarto, quia Reges vtriusque regni,
non poterãt bellum suscipere, aut aliam
rem magni momenti aggredi, nisi con-
sulto per Pontificem oraculo. Hin sequi-
tur, Regem Israel non fuisse supremum
& absolutum Dominum in suo regno,
sed debuisse etiam pendere à Pontifice,
qui habitabat in regno Iuda. Loquor au-
tem de iure; non de facto. Nam Rex Is-
rael, vt verum Dei cultum, sic verum
Pontificem deseruit, & in i-
dololatriam lapsus
est.

VII. QVÆ-

VII. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo exemptionis.

EXemptio duplex eſt: Vna in rebus Eccleſiaſticis; altera in temporalibus. Pontifex vtroque modo exemptus erat à poteſtate Regis; nõ item Rex à poteſtate Pontificis. Quod tametſi facile conſtare poſſit ex dictis, ſeorſim tamen explicandum eſt. Ac primo dicam de exemptione Pontificis in rebus Eccleſiaſticis. Secundo, de exemptione eiuſdem in tẽporalibus. Tertio, oſtendam, nec in Eccleſiaſticis, nec in temporalibus, Regem fuiſſe penitus exemptum à poteſta- Pontificis. Sit ergo

2. PRIMA CONCLVSIO. Pontifex in rebus Eccleſiaſticis, erat exemptus à poteſtate Regis. Et quidẽ triplici titulo, 1. quia Rex non poterat illi quicquã imperare in eo genere. 2. Non poterat illũ ad ſuũ tribunal

bunal trahere in cõtrouersiis Ecclesiasti-
cis. 3. Non poterat illũpunire, si deliquis-
set. Hæc conclusio ex duplici fundamen-
to probari potest. Prius est, quod Ponti-
fex fuerit supremus Iudex in causis Ec-
clesiasticis, vt iam ante probatum est. Ex
quo sequitur primo, non potuisse illum
trahi ad tribunal Regis. Secundo, non
potuisse puniri à Rege. Tertio, non fuis-
se subiectum imperio Regis. Ratio est,
quia supremus Iudex in eo genere, in
quo supremus Iudex est, non potest ab a-
lio iudicari, puniri, aut imperium acci-
pere. Alioqui in eo genere non esset su-
premus.

3. Posterius est, quod omnes Leuitæ in
rebus ecclesiasticis fuerint exempti à po-
testate Regis. Vnde seqtur, multo magis
Põtificem fuisse exemptũ. Quod aũt Le-
uitæ fuerint exẽpti, certum est. Nã Deus
separauerat illos à reliquo populo filio-
rum Israel, & eos, loco primogenito-
rum, quæ illi debebantur, suos esse vo-
cat, iuxta illud Num. 3. 12. *Ego tuli Leui-*
tas à filijs Israel pro omni primogenito,
eruntq;

eruntque Leuitæ mei, Meum eſt enim omnè primogenitum, ex quo percuſsi primogenitos in terræ Aegypti. Et Num. 8. 13. *Statueſque Leuitas in conſpectu Aaron & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael, vt ſint mei: quoniam dono donati ſunt mihi à filiis Iſrael. Pro primogenitis accepi eos. Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus, quam ex iumentis.*

4. Vnde ſic argumentor: Si Deus voluiſſet accipere primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus, quam ex iumentis, quæ ſpeciali iure illi debebantur; certè filii Iſrael nullam amplius habuiſſent poteſtatem in eadem primogenita, poſtquam ſemel Deo fuiſſent tradita. At Deus eodem iure ſpeciali, quo poterat accipere primogenita, accepit Leuitas loco primogenitorum: Ergo poſtquam Leuitæ ſemel Deo traditi & conſecrati eſſent, non amplius erant ſub poteſtate aliorum, ſed ſolius Dei. Poterat tamen Deus, ſi vellet, eos iterũ ſubiicere aliorum poteſtati. Noluit autẽ ſubiicere poteſtati Regis, ſed Pontificis, vt diſertè habetur,

abetur, Num. 8. 18. his verbis; *Tuli Le-itas pro cunctis primogenitis filiorum If-ael, tradidiq; eos dono Aaron & filiis eius e medio populi.* Igitur Leuitæ, ficut Pon-fici, & non Regi, donati erant à Deo; c Pontifici, & non Regi, debebant ob-emperare. Quod etiam expreſsè con-at ex illo, Num. 18. 1. *Dixitque Dominus d Aaron: Excubabunt Leuitæ ad præcepta ua.* Hinc infero: Si Leuitæ in cultu di-ino exempti erant ab imperio Regis, t reuera erant; multo magis Pontifex rat exemptus. Nam ſi hic exemptus on fuiſſet, nec Leuitæ poterant eſſe xempti, qui ſubiecti erant Pontifici.

5 SECVNDA CONCLVSIO. Pontifex in onis temporalibus & cauſis politicis xemptus erat à poteſtate Regis: Et qui-em quadruplici titulo. Primo, quia ex non poterat illi quicquam impera-e in eo genere. Secundo, non poterat lum trahere ad ſuum tribunal, aut ſen-entiam contra ipſum pronunciare. 'ertio, non poterat illum punire, ſi de-quiſſet. Quarto, non poterat ab illo xigere tributum, vectigal, & ſimilia o-

E nera,

nera, quæ Magiſtratus ſolet exigere à ſuis ſubditis. Tria priora membra facile probantur ex præcedenti concluſione. Nam Pontifex erat ſupremus Iudex, non ſolum in cauſis eccleſiaſticis, ſed etiam in temporalibus: At ſupremus Iudex, in eo genere, in quo ſupremus Iudex eſt, non poteſt ab alio iudicari, puniri, aut imperium accipere. Dices; quomodo ergo Abiathar Pontifex punitus eſt à Salomone? Nam Salomon, eo quod conſpiraſſet cum Adonia, depoſuit illum ab officio Pontificali, & alium in eius locum ſubrogauit. Reſpondeo. Si Salomon authoritate regia id fecit, non legitimè fecit. Nec enim, quicquid à Regibus factum eſt, legitimè factum eſſe putandum eſt. Nonne Achimelech Pontifex à Saule Rege interfectus eſt in Nobe? (1. Reg. 22.17.) Nonne Zacharias imperio Ioæ lapidatus eſt? (2. Paral. 24. 21.) An ideo hæc, quia à Regibus facta ſunt, legitimè facta ſunt? Nemo dixerit.

6. Supereſt quartum membrum de exemptione Pontificis ab onere tributorum

torum & similium grauaminum; quod sic probari potest. Onera, ad quæ præstanda tenebantur filii Israel, erant hæc. 1. procedere ad bella, & subsidia in bellum conferre. 2. singulis annis dare dimidium sicli pro vsu Tabernaculi. 3. dare decimas omnium bonorum in sustẽtationem Sacerdotum & Leuitarum. 4. primogenita hominum & iumentorũ, vel Deo offerre, vel pretio redimere. 5. conferre necessaria pro familia & sustentatione Regis. 6. permittere alienationem domorum suarum in perpetuũ. Ab his omnibus exemptus erat Pontifex, quod inductione probandum est.

7. Ac primum exemptus erat ab onere belli: nec solus ipse, sed omnes Leuitæ. Cum enim Deus mandasset Mosi in deserto Sinai, vt numeraret omnes filios Israel, qui per ætatem apti essent bello, speciatim excepit Leuitas, quos voluit ab hoc onere immunes esse, vt possent seruire in Tabernaculo. Num. 1. 48. *Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel, sed constitue eos super Tabernaculum testimonii, & cuncta*

 vasa

vasa eius, & quicquid ad ceremonias pertinet. Hoc tamen notandum est, tametsi immunes essent à bello, potuisse nihilominus interesse, quadruplici ex causa. Primo, vt in re dubia consulerent Deum pro Rege & exercitu. Hoc fecit Achias Pontifex in bello Saulis contra Philistæos (1. Reg. 14) Secundo, vt excitarent animos militum ad strenuè pugnandum iuxta illud Deuteronomii 20. 1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prælio, stabit Sacerdos ante aciem & sic loquetur ad populum. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; nō pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.* Tertio, vt custodirent Arcam Domini, quæ aliquando in exercitum filiorum Israel, ad maiorem ipsorum consolatio-

lationem, adducebatur. Hoc modo Ophni & Phinees, filii Heli Pontificis, fuerunt in exercitu contra Philistæos, & occisi sunt (1. Reg. 4. 11.) Quarto, vt in summa necessitate, si nihil aliud subsidii adesset, ipsi arma corriperent, & pro patriis legibus ac ceremoniis pugnarent. Hoc fecerunt Mathathias, & filii eius Machabæi, Iudas, Ionathas, Simon, & Ioannes Hyrcanus, qui erant ex genere sacerdotali. (1. Mach. 2. & sequentibus.)

8 Secundum onus filiorum Israel erat, quod deberent conferre dimidium sicli in vsum Tabernaculi. Exod. 30. 11. *Locutus est Dominus ad Mosen dicẽs: Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & supra, dabit pretium. Diues non addet ad medium sicli & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ collata est à filiis Israel, tra-*

des in vsus Tabernaculi testimonii. Ab hoc onere non solus Pontifex erat exemptus, sed etiam Leuitæ. Quod sic ostendo. Illi soli debebant dare dimidium sicli, qui postea à Mose erant recensendi in numero filiorum Israel, vt apertè cõstat ex verbis citatis. At Leuitæ non erant recensendi in illo numero, vt paulo ante ostensum est ex illo, Num. 1.48. *Tribum Leui noli numerare.* Ergo Leuitæ non tenebantur ad soluendum illud pretium pro vsu Tabernaculi. Ergo nec Pontifex. Vide plura, 2 paralip. 24.5.

9. Tertium onus erat, quod singulis annis deberent dare decimas bonorum suorum pro sustentatione Leuitarum (Leuit. 27.30. & Num. 18.21. & Deut. 12. 6.) Ab hoc onere exemptus erat pontifex. Et quod amplius est, ipse cum aliis Leuitis erat particeps decimarum, & postea ab ipsis Leuitis accipiebat decimas decimarum, vt patet ex illo, Num. 18.26. *Præcipe Leuitis atq; denuncia: Cùm acceperitis à filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, vt reputetur vobis*

vobis in oblationem primitiuorum, tam de areis, quàm de torcularibus, & vniuersis, quorum accipitis primitias, offerre Domino, & date Aaron Sacerdoti.

10. Quartum erat, quod primogenita hominum & iumentorum, vel pretio deberent redimere, vel pontifici offerre. Num. 18. 15. *Dixit Dominus ad Aaron: Quicquid primùm erumpit ex vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias, cuius redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque pondere Sanctuarii. Primogenitum autem bouis & ouis, & capræ, non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino.* Ab hoc onere eximebatur pontifex. Nam cæteri, qui hoc onere tenebantur, debebant pontifici offerre sua primogenita, vel certè pretium illorum, vt iam dictũ est. At cui obtulisset pontifex? Si sibi ipsi, nullum erat onus. Si alicui alteri, cui tandem? Nemo à Deo designatus est.

11. Quintũ erat, conferre necessaria ad

luxum & familiam Regis. De hoc onere locutus eſt Samuel, cum vellet filios Iſrael abſterrere à petendo Rege. Sic enim legimus 1. Reg. 8. 10 *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à ſe Regem, & ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum. & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorũ. Filias quoq; veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo, Greges quoq; veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui. Et clamabitis in illa die à facie Regis veſtri, quẽ elegiſtis vobis, & nõ exaudiet vos Dominus.* Ab hoc onere & Pontifex & omnes Leuitæ erant exempti. Quod apertè conſtat ex verbis citatis. Primo, quia Pontifex

ex & Leuitæ non petebant Regem, sed
opulus aliarum tribuum. Secundo. Le-
uitę non erant futuri centuriones & tri-
buni in bello. Erant enim exempti ab o-
nere belli, vt dictum est. Tertio, Leuitæ
non habebant alias possessiones, nisi 48.
ciuitates cum suburbanis earum. (Nũ.)
5. 2.) At suburbana Leuitarum non po-
erant vendi, & dari seruis Regum, iux-
a illud, Leuitic. 25. 34. *Suburbana autem
orum non veneant, quia possessio sempiter-
na est.*

12. Sextum erat, permittere alie-
nationem domorum suarum in perpe-
tuum. Leuitic. 25. 26. *Qui vendiderit do-
mum intra vrbis muros, habebit licentiam
redimendi, donec vnus impleatur annus. Si
non redemerit, & anni circulus fuerit euo-
lutus, emptor possidebit eam, & posteri eius
in perpetuum, & redimi non poterit, etiam
in iubilæo.* Ab hoc onere eximebantur
Leuitæ, ac proinde etiam Pontifex. Nã
ibidem sic additur: *Ædes Leuitarum,
quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi:
si redemptæ non fuerint, in iubilæo reuerten-
tur ad Dominos, &c.*

13. Igitur vt summatim colligã, quæ dicta sunt, Pontifex erat exemptus non solum ab omni onere, quod Regi præstandum erat, sed etiam ab aliis oneribus, quæ Leuitis, Sacerdotibus, & Tabernaculo præstabantur. Ad hanc exemptionem reuocari potest, quod omnes ciuitates refugii, in quibus erat summa immunitas, fuerint Leuitarum; nulla filiorum Israel (Iosue 20. 7.) Quæ immunitas non parum facit ad prærogatiuam Pontificis. Primo, quia ciuitates Leuitarum subiectæ erant Pontifici. Secundo, quia quotquot homicidæ inuoluntarii, siue incolæ siue exteri, ad eas confugiebant, poterant ibi tuto commorari, vsq; ad mortem pontificis. Mortuo autem Pontifice, impunè ad propria reuertebantur (Iosue 20. 6.)

14. TERTIA CONCLVSIO. Rex neque in causis Ecclesiasticis, neque in temporalibus, erat planè exemptus à potestate Pontificis. Non quidem in Ecclesiasticis. Nam Pontifex in eo genere poterat illi imperare, & etiam punire, si deliquisset. Habemus lucu-

lentum

entum exemplum in Ozia Rege. 2. Paralippomen. 26.16. his verbis: *Cum roboratus esset Ozias, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum. Egredere de sanctuario, ne contempseris. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius, coram Sacerdotibus, qui expulerunt eum, &c.* Vides, quantum fuerit imperium summi Sacerdotis in Regem, præsertim in rebus ad diuinum cultum pertinentibus. Rex elatus multis victoriis, voluit se immittere in officium Sacerdotum. Quid Pontifex? Opposuit se Regi, & audacter dixit; Audi Rex: res diuinæ non spectant ad tuum officium, sed ad nostrum. Egredere de Sanctuario. Nisi pa-

parueris, non abibis ſine pœna. Quid Rex? Iraſcitur, minatur, punitur, expellitur, imperio abdicatur. Debebat meminiſſe illius præcepti, Deuteronom. 17. 20. *Non eleuetur cor eius in ſuperbiam, cùm ſederit in ſolio regni ſui*

15. Sed neque in temporalibus omnino exemptus fuit Rex. Primo, quia ſæpè non poterat bellum ſuſcipere, niſi conſulto prius Pontifice. Secundo, quia in controuerſiis legalibus, non ſolum Eccleſiaſticis, ſed etiam politicis, debebat acquieſcere Pontifici tanquam ſupremo Iudici. Hæc ſæpè dicta ſunt. Tertio, quia debebat illi dare decimas, primitias, oblationes, & pretia primogenitorum. Nuſquam enim legimus, Regẽ ab hoc onere fuiſſe exemptum. Et hæc ſufficiant de hoc puncto.

VIII. QVÆSTIO.

An Pontifex præcelluerit Regi, titulo Authoritatis?

1 DEus maiorem voluit eſſe authoritatem Pontificis apud populum, quam

uam Regis. Et quidem Pontifici, variis
odis, authoritatem conciliabat. Pri-
o, publica & ſolenni conſecratione,
uæ præſente populo, durabat per ſep-
m dies. Secundo, vnctione olei ſacri,
uod in nullum vſum prophanum ad-
beri poterat. Tertio, ornatu Pontifi-
li, qui & gemmis pretioſis, & aurea la-
ina, & tintinnabulis aureis, & malis
nicis, omnem alium ornatũ longè ſu-
rabat. Quarto, frequenti colloquio
m Deo, præſertim in reb. dubiis pro-
nendis. Quinto, variis ac illuſtribus
iraculis. Ex his aliqua recenſebo.

2. Primum contigit in primo ſacrifi-
, quod Aaron obtulit in ſuo Pontifi-
u. Tunc enim ignis de cœlo deſcen-
, qui coram populo, holocauſtum
uorauit. Quo miraculo oſtendit De-
, ſe approbare ſacerdotium ſeu Pon-
catum Aaronis. Leuit. 9. 24. *Apparuit
ria Domini omni multitudini: Et ecce e-
ſus ignis à Domino, deuorauit holocau-
m, & adipes, qui erãt ſuper altare: Quod
vidiſſent turbæ, laudauerunt Dominũ,
ntes in facies ſuas.* Vide ſimile exem-
m 3. Reg. 18. 3. Secun-

3. Secundum contigit in ſeditione Core, Dathan & Abiron, qui cum ſuis ſociis viui à terra abſorpti ſunt, eo quod rebellionem excitaſſent contra primatum Moſis & Aaronis. Num 16. 1. *Ecce autem Core & Dathan atque Abiron ſurrexerunt contra Moſen aliiq; filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ: & qui tempore Concilij per nomina vocabantur. Cumq; ſtetiſſent aduerſum Moſen & Aaron, dixerunt: ſufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus. Cur eleuamini ſuper populũ Domini?* Et infra, v. 31. *Confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq; viui in infernum.*

4. Tertium contigit in ſeditione populi, qui partim incendio periit, partim per interceſſionem Aaronis ab incendio ereptus eſt. Num. 16. 41. *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael contra Moſen & Aaron, ſequenti die, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret*

*rescceret, Moses & Aaron fugerunt ad ta-
ernaculum fœderis. Quod, postquam in-
ressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria
Domini. Dixitque Dominus ad Mosen: Re-
dite de medio huius multitudinis; etiam
unc delebo eos: Cumque iacerent in ter-
r, dixit Moses ad Aaron: Tolle thuribu-
m, & hausto igne de altari, mitte incẽsum
super, pergens cito ad populum, vt roges
o eis: iam enim egressa est ira à Domino,
plaga desæuit. Quod cum fecisset Aa-
n, & cucurrisset ad mediam multitudi-
m, quam iam vastabat incendium, ob-
lit thymiama: & stans inter mortuos &
uentes, pro populo deprecatus est, & plaga
auit. Fuerunt autem, qui percussi sunt,
ooo. hominum absq; his qui perierunt in
itione Core.*

5. Quartum contigit circa vĩrgam
ronis, hoc modo. Cum populus
è murmuraret contra Aaronem
ntificem, & aliæ tribus filiorum Is-
l ægrè ferrent, quod ex sola tribu Le-
ssumeretur Pontifex, qui aliis om-
us imperaret; voluit Deus in poste-
n præcauere huiusmodi murmu-

ra, &

ra, & manifesto signo declarare, Aaronem legitimè à se electum esse, cui omnes, tanquam summo Sacerdoti, deberent obsequi. Itaque mandauit Mosi, vt acciperet duodecim virgas à duodecim tribubus Israel, in quibus singulis notata essent singula nomina tribuum Israel. Has cum virga Aaronis poneret in Tabernaculo testimonii, & sequenti die iterum produceret. Tunc enim fore, vt vna ex omnibus miraculosè floreret, & is deinceps cuius virga floruisset, tanquam legitimus Pontifex haberetur. Factum est. Sequenti die, sola virga Aaronis inuenta est germinasse, & turgentibus gemmis emisisse flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati visebantur. Ex quo omnes manifestè collegerunt, deinceps soli Aaroni, tanquam Pontifici à Deo electo & designato, non autem aliarum tribuum principibus, in rebus ad Deum spectantibus obtemperandum esse. Et ne posteros id lateret, mandauit Deus, vt virga Aaronis, ad perpetuam rei memoriam, in Arca conseruaretur, (Num. 17. per totum.)

6. Atque

6 Atq; hi sunt modi, quibus Pontifi-
in Veteri Testamento, à Deo conci-
ta fuit authoritas apud populum. In
ibus sanè, Rex erat inferior Pontifi-
. Nam neq; consecratio ipsius erat
n solennis, nec vngebatur oleo sanctę
ctionis; nec in ornatu erat par Ponti-
i; nec immediatè consulebat Deum
rebus dubiis; nec authoritas ipsius tot
raculis erat à Deo confirmata. Hinc
am factum est, vt populus plus hono-
ac reuerentiæ tribueret Pontifici,
am Regi. Imo, si inter Pontificem &
gem lis aliqua vel disceptatio inter-
seret, Pontifici potius adhærebant,
àm Regi. Hoc accidit Sauli. Cùm e-
n mandaret suis subditis, vt interfice-
it Achimelech Pontificem, nolue-
it Regi obedire. Nimirum, pluris æ-
nabant vitam Pontificis, quàm man-
um Regis. Plus dicam. Ipsi Reges vl-
deferebant Pontifici: Nec soli He-
orum Reges, sed etiam gentilium.
emplo sint Ioas Rex Iuda, & Seleu-
Rex Asię. Ioas venerabatur Ioiadam
tificem, vt parentem; & eo viuente,

F nihil

nihil faciebat, nisi ex ipsius directione & præscripto (4.Reg.12.2.) Seleucus adeo suspiciebat Oniam Pontificem, vt in eius gratiam, magnis honoribus ac munerib. prosequeretur templum Ierosolymitanum (2.Mach.3.1.)

Conclusio huius Capitis.

1. In hoc capite institui comparationem inter Pontificem & Regem Veteris Testamenti: Et ostendi, Pontificem multis titulis Regi præcelluisse. 1. titulo originis & antiquitatis. 2. familiæ. 3. inaugurationis 4. vnctionis. 5. ornatus. 6. officii. 7. exemptionis. 8. authoritatis. Et hæc omnia ex sacris litteris confirmaui. Nunc, coronidis loco, attexam testimonia Philonis & Iosephi, qui ambo, vtpote Hebræi nati, fuerunt rerum Hebraicarum peritissimi.

2. Igitur Philo in libro de Legatione ad Caium, recitans epistolam Agrippæ ad eundem Caium, Imperatorem Romanum, inter cætera sic habet: *Equidem, vt nosti, Iudæus natus sum: natale solum mihi sunt*

bi sunt Hierosolyma, vbi altissimi Dei templum situm est. Auos proauosque Reges habui, & ex his aliquot etiam summos Pontifices; quam illi dignitatem pluris faciebant, quàm Regiam: rati, quanto Deus antestat homini, tanto Pontificatum Regno excellentiorem. Ad illius enim curam, diuinas res; humanas, ad huius pertinere. Quid clarius? Illi ipsi, qui in populo Hebræorum fuerunt simul Reges & Pontifices (quales non pauci fuerunt à temporibus Machabæorum) pluris æstimarunt dignitatem Pontificiam, quàm Regiam: &, si alterutra fuisset deserenda, Regiam potius, quàm Pontificiam fuissent deserturi.

3. Iosephus, non quidem tam apertè confert inter se Pontificem & Regem, vt Philo; sed tamen reipsa idem sentit. Sic enim scribit libro secundo contra Apionem, in commendationem legis Mosaicæ: *Sed quænam pulchrior aut iustior queat esse lex, quàm quæ & Deum fecit omnium moderatorem, & Sacerdotib. res maximas communiter administrandas commisit? rursumque, cæterorum Sacerdotum guberna-*

tionem summo omnium Pontifici credidit? Et paulo post: *Erat autem eorum muneris, legem cæteraque instituta diligenter curare. Nam & omnium inspectores, & controuersiarum Iudices, & condemnatorum punitores constituti sunt Sacerdotes. Quisnam igitur Principatus fieri possit hoc sanctior? aut quis honos Deo conuenientior? Vbi & plebs vniuersa ad pietatem est benè comparata, & Sacerdotibus concredita est cura præcipua, & vniuersa Respublica instar ceremoniæ cuiusdam administratur.* Præclarum testimonium.

4 Vtriq; authori subscribit D. Augustinus, libro 17. de Ciuitate Dei cap. 21. vbi docet, post mortem Salomonis, duos fuisse Reges; quorum alteri duæ tribus, alteri decem subiectæ erant. Tribum Leui, quæ fuit decimatertia, neutri fuisse subiectam. *Nam tribus Leui*, inquit, *quoniam sacerdotalis fuit, Dei non Regum seruitio mancipata, tertia decima numerabatur.* Et hoc est, quod supra dixi, Pontificem & Leuitas fuisse exemptos à potestate Regis.

5 Nunc sic concludo; Aduersarii

vbiq;

vbiq; inculcant, Regem Angliæ nec plus, nec minus potestatis ac iurisdictionis sibi vindicare in suo regno, quam olim pii Reges in veteri Testamento sibi vindicabant: At illi multis titulis fuerunt infra dignitatem Pontificiam, vt hactenus ostensum est ex sacris scripturis, Philone, Iosepho, & Augustino: Ergo etiam Rex Angliæ, si verum est fundamentum Anglorum, multis titulis est infra dignitatem Pontificiam.

CAPVT II.

De Iuramento Primatus.

SIcut Primatus Regius in Ecclesia Anglicana, sic etiam iuramentum Primatus, res noua est. Ortum habuit sub Henrico Octauo, vt disertè fatetur Iacobus Rex in Apologia, his verbis: *Sub Henrico Octauo primum introductum est iuramentum Primatus, sub eoq; Thomas Morus & Roffensis supplicio affecti; idq; partim ob eam causam, quod iuramentum illud recusarent. Ab eo deinceps omnes mei decessores, quotquot sunt hanc religionem amplexi,*

plexi, idem sibi aut non multo secus asseruerunt. Nempe, Edouardus, & Elisabetha. Nemo alius.

2. Porro, formula huius Iuramenti, quatenus à Iacobo proponitur, est hæc: *Ego A. B. palam testor, & ex conscientia mea declaro quod Maiestas Regia, vnicus est supemus Gubernator huius regni, tam in omnibus spiritualibus siue ecclesiasticis rebus & causis, quam in temporalibus: Et quod nullus extraneus Princeps, Persona, Prælatus, status aut potentatus habet aut habere debet vllam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, praeminentiam, vel authoritatem ecclesiasticam seu spiritualem intra hoc regnum &c.* Hæc formula habetur in Apologia Regis: Et summatim duo puncta complectitur. Vnum est, quod solus Rex sit supremus gubernator Ecclesiæ Anglicanæ: Alterum, quod Pontifex nullam habeat iurisdictionem vel potestatem in Ecclesia Anglicana.

3. Est ergo questio, an omnes subditi, qui in Anglia sunt, teneantur in conscientia præstare hoc iuramentum, quotiescunque Rex illud exigit? Sunt autem

tria

tria ſubditorum genera in Anglia. 1. Catholici. 2. Puritani, ſeu Caluiniſtæ. 3. Henriciani, qui partim à Catholicis, partim à Puritanis diſcrepant. De his omnibus quæri poteſt, an teneantur præſtare iuramentum Primatus Regii. Pendet autem hæc quæſtio ex alio puncto, nempe ex eo, quid ſinguli ſentiant de iſto Primatu. Nemo enim poteſt iurare contra ſuam mentem ac ſententiam. Primo ergo quæritur, quid Catholici ſentiant de Primatu. Secundo, quid Puritani. Tertio, quid Henriciani. Hinc poſtea concludam, quid de iuramento dicendum ſit.

I. QVÆSTIO.

Quid Catholici ſentiant de Primatu Regio.

1. DVplex eſt Primatus apud Chriſtianos: Vnus politicus ſeu temporalis; alter eccleſiaſticus ſeu ſpiritualis. prior conſiſtit in ſuprema poteſtate & iuriſdictione, qua gubernatur Reſpublica ciuilis: poſterior in ſuprema

poteſtate & iuriſdictione, qua gubernatur Eccleſia. Loquor autem de gubernatione in foro exteriori. Prioris officia ſunt hæc. 1. indicere Comitia, & in iiſdē præſidere. 2. condere leges ciuiles. 3. audire & cognoſcere cauſas ciuiles. 4. controuerſias, circa res temporales & politicas, dirimere. 5. officia ciuilia diſtribuere. 6. ſenatores, Prætores, & alios Magiſtratus inferiores conſtituere. 7. pœnas ciuiles irrogare. Poſterioris officia ſunt hæc. 1. conuocare ſynodos, & in iiſdem præſidere. 2. leges eccleſiaſticas condere. 3. audire & cognoſcere cauſas eccleſiaſticas. 4. controuerſias circa fidem & religionem dirimere. 5. officia & beneficia eccleſiaſtica diſtribuere. 6. Epiſcopos creare & conſtituere. 7. delinquentes excommunicare, aut ſimili pœna afficere.

2 Hoc poſito, Catholici ſic ſentiunt. Regem Angliæ, quatenus Rex eſt, habere quidem Primatum temporalē ſeu politicum in regno Angliæ; non tamen eccleſiaſticum aut ſpiritualem, Quod variis modis probari ſolet. Ego breuiter ſic

probo;

probo; Si Rex, quâ Rex eſt, haberet primatum ſpiritualem, vel haberet iure naturali, vel iure diuino veteris Teſtamenti, vel iure diuino noui Teſtamenti, vel iure ciuili, vel iure canonico, vel titulo præſcriptionis, vel conſenſu doctorum hominum: At nullo horum modorum habet.

3. Non iure naturali. Nam iſti duo primatus, ſpiritualis & temporalis, ex natura rei, diſtincti ſunt, cum habeant diſtincta officia & tribunalia, vt explicatum eſt; & alter ab altero ſeparari poteſt, aduerſariorum ſententiâ, quia ſecundum illos in Chriſto fuit primatus ſpiritualis ſine temporali: & è contrario, in Tyberio Imperatore fuit temporalis ſine ſpirituali: Ergo iure naturali, ſiue ex natura rei, alter alteri connexus non eſt: Ergo Rex, qui habet primatum temporalem, non ideo iure naturali habet ſpiritualem; ſicut Chriſtus, vt illi volunt, qui habuit ſpiritualem, non ideo iure naturali habuit temporalem. Nihil certius.

4. Nec iure diuino veteris Teſta-

menti. Nam in veteri Testamento, non Rex, sed Põtifex præsidebat iis reb. quæ ad Deum & religionẽ pertinebant, iuxta illud 2. Paralip. 19. 11. *Amarias Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Huc spectant multa, quæ dicta sunt capite præcedente, quæst. 6. de officio Regis & Pontificis. Et quæst. 7. de exemptione: Et quæst. 8. de authoritate vtriusq;.

5. Nec iure diuino noui Testamenti. Nam Christus non dixit Tiberio aut Herodi, *Pasce oues meas*, sed Petro. Nec Regibus, sed Episcopis dictum est, Act. 20. 28. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Nec reges, sed Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, & legem Ecclesiasticam de sanguine & suffocato condiderunt. (Actor. 15. 28.

6. Nec iure Canonico; quia apud Gratianũ dist. 96. can. 11. sic legimus; *Si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ.* Et paulo post; *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis*

clesiasticis Præsulibus, non præferre. Et in Decretalibus, de Maioritate & obedientia, can. 6. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus excellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.*

7. Nec iure ciuili; quia Iustinianus Imperator in Authentica cõstitutione 23. sic habet; *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento ciuiles Magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros canones finem imponunto.*

8. Nec titulo præscriptionis. Primo, quia præscriptio humana non habet locum in iis, quæ iure diuino constituta sunt. At primatus Ecclesiæ Christianæ iure diuino pertinet ad Episcopos, vt ostensum est: Ergo Rex, titulo humanæ præscriptionis, non potest illum vsurpare. Secundo, quia si in hoc negotio, præscriptioni locus esset, ea nobis potius faueret, quam Regi Angliæ. Nam ab antiquis temporibus, regnum

Angliæ factum est feudum Pontificis, ex donatione Regum, volentium illud subiicere S. Petro, in recognitionem supremæ eius potestatis in Ecclesia, vt infra cap. 4. quæst. 9. probandum est: Ergo ex hoc facto, tam longo tempore, præscripto, satis constat, Pontificem, qui Petri successor est, primatem esse Ecclesiæ Anglicanæ, non Regem.

9. Nec consensu doctorum hominum. Nam excepto Episcopo Eliensi, & quibusdam aliis adulatorib. oẽs cordati & docti viri palam fatentur, Põtificem esse caput Ecclesiæ, Vicarium Christi, successorem Petri. Hæc omnia fusius à me explicata sunt in bello quodam quẽ ante biennium scripsi de hac re. Itaque ne molestus sim lectori, sufficiat compendio hic repetete, quæ ibi dicta sunt.

II. QVÆ-

II. QVÆSTIO.

Quid Puritani ſentiant de primatu Regio?

1. PER Puritanos intelligimus Caluiniſtas, qui in Anglia ſunt. Sic enim ibi appellantur. Cum ergo quæritur, quid ſentiant Puritani de primatu Regio, perinde eſt, ac ſi dicam, quid ſentiat Caluinus aut Caluiniſtæ de hac re? Lancellottus in reſponſione ad Apologiam Cardinalis Bellarmini, conatur eos in ſuam partẽ adducere. Sed fruſtra. Nam certum eſt, Caluinum in hoc puncto nobiſcum ſentire, nec vllo modo velle, vt Reges & Principes ſæculares vſurpent primatum Eccleſiaſticum in ſuis regnis ac prouinciis. Imo grauiter reprehendit eos, qui Henrico VIII. huiuſmodi primatum attribuerunt. Sic enim ſcribit in cap. 7. Amos Prophetæ; *Qui tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, certè fuerunt homines inconſiderati. Dederunt enim illi ſummam rerum omnium poteſta-*

potestatem; & hoc me grauiter semper vulnerauit. Erant enim blasphemi, cũ vocarent eum summum caput Ecclesiæ sub Christo.

2. Et quod hic speciatim de vno Rege, hoc alibi generatim de omnib. sentit. Nam lib. 4. instit. c. 11. §. 15. expressè docet, olim in Ecclesia primitiua, causas Ecclesiasticas non pertinuisse ad Reges & Imperator. sed ad Episcopos. Sic enim loquitur; *Ecclesiasticæ causæ ad Episcopale iudicium referebantur: Quemadmodũ si quis clericus nihil in leges deliquisset, canonibus tantum reus agebatur: non citabatur ad commune tribunal, sed Episcopum habebat in ea causa Iudicem. Similiter, si fidei quæstio agitabatur, aut quæ ad Ecclesiã propriè pertineret, cognitio deferebatur Ecclesiæ.* Et in Eandem sententiam citat ex Ambrosio hæc verba ad Imperatorem Valentinianum; *Augustæ memoriæ pater tuus, non modo sermone respondit, sed legibus quoq; sanxit, in causa fidei eum iudicare debere qui nec munere sit impar, nec iure dissimilis:* Item; *Si scripturas aut vetera exempla intuemur, quis est, qui abnuat, in causa fidei, Episcopos solere de Imperatoribus*

Chri-

Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?

3. Hinc etiam, tẽpore Caluini multis in locis, præsertim Geneuæ, introductus est vsus, vt omnes causæ Ecclesiasticæ, in solo Consistorio Ecclesiastico, non autem in Senatu sæculari, audirentur & definirentur. Nec vlla pars potestatis aut iurisdictionis Ecclesiasticæ permittebatur Magistratui sæculari; sed sola executio, quæ externam vim requirebat, poterat illi à Consistorio demandari. De qua re, multa habentur in Epistolis Caluini & aliorũ ministrorũ, quæ à Theodoro Beza in vnũ volumen collectæ, & in lucem editæ sunt. Igitur, si Puritani in Anglia, velint sequi doctrinam Caluini, quam alias profitentur, necesse est, eos fateri, Regem in suo regno nõ posse vsurpare primatum Ecclesiasticum & spiritualem, sed politicum duntaxat & temporalem.

III. QVÆ-

III. QVÆSTIO.

Quid Henriciani sentiant de primatu Regio?

1 DIfficillimum est explicare, quid sentiant: facillimum, in quib. dissentiant. Adeo omnia apud illos incerta & dissensionibus intestinis plena sunt. Dissentiunt autem in his ferè punctis. Primo, an vtendum sit nomine *Primatus*, an potius nomine *Suprematus*? Secundo, an primatus, quo Rex gubernat Ecclesiam Anglicanam, possit vocari Ecclesiasticus & spiritualis; an potius dici debeat primatus quoad Ecclesiastica & spiritualia? Tertio, an Rex ab eo primatu possit vocari primas Ecclesiæ Anglicanæ? Et, an hæc consequentia sit bona; *Rex habet primatum Ecclesiæ: Ergo est primas Ecclesiæ*? Quarto, an ab eodem primatu vocari possit supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ, sicut Elisabetha vocata est? an potius ab hoc titulo abstinendum sit? Quinto, an ratione sui prima-

Primatus, habeat aliquam potestatem vel iurisdictionem Ecclesiasticam? an solùm politicam & temporalem, quæ tamen extendat se ad res ecclesiasticas & spirituales? Sexto, quæ officia possit exercere ratione sui Primatus? Et speciatim, an possit conuocare Synodos, condere leges ecclesiasticas, conferre beneficia, Episcopos creare & deponere, contumaces excommunicare, controuersias dirimere? In his & similibus punctis extremè dissentiunt Henriciani. Quod nuper sigillatim ostendi, in quodam libello, qui inscribitur, *Dissidium Anglicanum de Primatu Regio.*

2. Nec solum dissentiunt, sed etiam, quod mirum est, suppeditant nobis firmissima argumenta, quibus euertitur Primatus Regius, quem alioqui saluum esse cupiunt. Huiusmodi argumenta non pauca memini me alias collegisse ex Tortura Sacellani. Tria nunc repetam. Primum est; Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet potestatem vel iurisdictionem ecclesiasticā in foro exteriori: At Rex, ex doctrina

Sacellani, nullam habet poteſtatem vel iuriſdictionem eccleſiaſticam in foro exteriori: Ergo non habet Primatum Eccleſiæ. Maior propoſitio per ſe nota eſt, quia nomine Primatus Eccleſiaſtici, nihil aliud intelligi poteſt, quàm ſuprema poteſtas & iuriſdictio, qua Eccleſia gubernatur in foro exteriori: ſicut nomine Primatus politici, nihil aliud intelligi poteſt, quàm ſuprema poteſtas & iuriſdictio, qua Reſpublica gubernatur in foro exteriori. Eſt enim proportio inter vtrunq; Primatum. Qui ergo nullam habet poteſtatem vel iuriſdictionem eccleſiaſticam in foro exteriori, nõ habet Primatum Eccleſiaſticum.

3. Iam ſubſummo. At Rex Angliæ, ex doctrina Sacellani, nullam habet poteſtatem vel iuriſdictionem eccleſiaſticam in foro exteriori. Hoc euidenter conuinco ex principiis Sacellani. Sunt autem hæc tria. Primum, quod iuriſdictio eccleſiaſtica fori exterioris non alio loco fundata ſit, quam illo, Matth. 18. 17. *Dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Alterum,

terum, quod iurisdictio, quæ illo loco fundata est, nihil aliud sit, quàm ius censuræ, seu potestas excommunicandi. Tertium, quòd Rex non habeat ius censuræ, seu potestatem excommunicandi. Hæc sunt principia Sacellani in Tortura. Nam pag. 41. sic scribit: *Censura duplex est, publicani & ethnici; minor & maior. Minor à Sacramentis excludit modo. De maiore verò, quæ arcet Ecclesia ipsa, quæ perinde reddit, vt ethnicos, vix quisquam est, quin fateatur institutam eam à Christo, Matth. 18. per verba, Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus. De exteriori foro ibi agitur. Exterioris fori iurisdictio, illo, non alio loco fundata est.* Et rursus pag. 151. *Nos Principi potestatem censuræ non facimus.* Quid clarius? Si ergo quæras ex Sacellano, vbi in Euangelio fundata sit iurisdictio fori exterioris? respondebit, non alibi, quàm ibi, *Dic Ecclesiæ.* At iurisdictionem ibi fundatam non habet Rex: Ergo nullam habet fundatam in Euangelio Christi, sed in cerebro Sacellani.

4 Igitur repeto primum syllogismum, hoc modo: Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet iurisdictionem vel potestatem ecclesiasticam in foro exteriori: At Rex nullam habet, ex doctrina Sacellani: Ergo non habet Primatum Ecclesiæ. Hic Angli tumultuantur. Thomsonius, concessa minori propositione, negat maiorem. Concedit, Regem Angliæ nullam habere iurisdictionem ecclesiasticam: Negat, Primatum Ecclesiæ consistere in iurisdictione ecclesiastica. Verba eius sunt hæc: *Maior propositio falsa est. Nititur enim fictitia & falsa definitione Primatus seu Suprematus Ecclesiæ. Qui non erat Becano per iurisdictionem ecclesiasticam, sed per gubernationem supremam, & nulli alteri subditam, definiendus. De minori propositione non est, quod mihi negotium facessam. In confesso est apud omnes, vt puto, Theologos.* At non est apud Tookerum & Salcolbrigiensem. Negant illi minorem. Negant, Regem non habere iurisdictionem ecclesiasticam. Imo, secundum illos, supremam habet & ple-

& plenissimam. Sic enim loquitur Salcolbrigiensis; *Rex est persona mixta, vtpote qui & ecclesiasticam & temporalem iurisdictionem habet: & quidem supremam.* Et Tookerus; *Rex habet plenissimam & amplissimam iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori.* Quid agas cum hoc hominum genere?

5. Alterum argumentum est; Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui neminem, quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ex Ecclesia, seu excommunicare; & tamen ipse, si reus ac nocens sit, ab aliis expelli, seu excommunicari potest: At Rex Angliæ, iuxta doctrinam Sacellani & sociorum eius, neminem quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ex Ecclesia, seu excommunicare; & tamen ipse, si reus ac nocens sit, ab aliis expelli, seu excommunicari potest. Ergo Rex Angliæ, iuxta doctrinam Sacellani & sociorum eius, non habet Primatum Ecclesiæ.

6. Maior certa est. Et patet in simili exemplo. Nam sicut is non censetur Rex, qui neminem, quantumuis flagitio-

gitiosum, potest ex regno eiicere, seu in exilium mittere; & tamen ipse, si deliquerit, eiici & in exilium mitti potest: sic planè res habet in nostro casu. Quod dupliciter confirmo. Primo, quia qui habet Primatum temporalem, potest subditos coercere pœnis temporalibus; Et, si hoc non potest, non habet Primatum temporalem: Ergo similiter, qui habet Primatum spiritualem, potest subditos coercere pœnis spiritualibus (cuiusmodi est pœna excommunicationis.) Et, qui hoc non potest, non habet Primatum spiritualem. Secundo, quia eiusdem potestatis est, sancire legem, quam subditi teneantur obseruare, & punire subditos, si non seruent legem. At, qui habet Primatum ciuilem, potest sancire leges ciuiles; & qui habet Primatum Ecclesiasticum, potest sancire leges Ecclesiasticas, vt fatentur aduersarii: Ergo sicut ille potest punire subditos pœnis ciuilibus; ita hic potest Ecclesiasticis. Vtrobiq; est eadem proportio.

7. Nunc subsumo. At Rex Angliæ neminem potest excommunicare, & tamen

tamen ab aliis excommunicari poteſt: Ergo non habet Primatum Eccleſiæ. Prior pars aſſeritur à Sacellano in Tortura, his verbis; *Nos principi censuræ potestatem non facimus*. Et à Thomſonio, in Elencho, *Omnes fatemur, Regem excommunicandi potestatem non habere*. Et à Tookero, in Duello; *Rex non habet potestatem distringendi gladium spiritualem, vel quempiam excommunicandi*. Poſterior aſſeritur ab eodem Sacellano, his verbis; *Aliud est priuare Regem bonis Ecclesiæ communibus, quod facit sententia* (excommunicationis) *& potest forte Pontifex: aliud, priuare bono proprio, id est, regno suo, quod non facit sententia, nec potest Pontifex*. Et à Burhillo; *Quod Ambrosio licuit in Theodosium, idem & aliis in Regem, simili de causa, liceat*, id eſt, ſicut Ambroſio Epiſcopo licuit excommunicare Theodoſium Imperatorem, ita & noſtris Epiſcopis licet excommunicare Iacobum Regem, ſi ſimiliter peccet.

8. CONCLVDO. Ergo Rex Angliæ non habet primatum Eccleſiæ Anglicanæ. Aut ſi habet, titulo tantum ha-

bet, non re. Nam ſi reipſa haberet, poſſet vti, cum opus eſt. At non poteſt. Tametſi enim ſpecioſo nomine, vocetur Caput, Paſtor, Gubernator; non tamen poteſt exercere officium Capitis, Paſtoris, Gubernatoris. Nam, cum Caput Eccleſiæ Anglicanæ ſit, non poteſt membrum putidum reſecare à corpore illius Eccleſiæ: Cum Paſtor ouium ſit, non poteſt ſcabioſam ouem excludere ab ouili. Cum Gubernator omnium ſit, non poteſt vllum rebellem aut contumacẽ ab aliorum conſortio arcere. Et, quod verè paradoxum eſt, ipſemet Gubernator à ſuis ſubditis, Paſtor à ſuis ouibus, Caput à ſuis membris, coerceri & puniri per excommunicationem poteſt. Nos certè Catholici, multo benignius ſentimus de Primate noſtro, Pontifice Romano. Fatemur, alios ab eo excommunicari poſſe; ipſum à nemine poſſe.

9. Tertium argumentum eſt; Illi in Nouo Teſtamento habent Primatum Eccleſiæ, qui illum à Chriſto acceperunt: At Apoſtoli & eorum ſucceſſores, non autem Reges & Imperatores acceperunt

ceperunt illum à Christo: Ergo Apostoli & eorum successores, non autem Reges & Imperatores habẽt primatum Ecclesiæ in nouo Testamento. Maior per se nota est. Minorem probo ex duplici testimonio Sacellani in Tortura. Prius continetur his verbis: *Duo hæc regna Reipublicæ & Ecclesiæ, quamdiu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent primos; postquam in vnum coalescunt, non, vt in duobus, duo; sed, vt in vno, vnus primus est.* Posterius his. *In Israele populo regnum constituit Deus, & Ecclesiã in regno. Exemplũ inde nobis sumendũ est, cum in Testamẽto nouo nullũ habeamus. Nusquam ibi in vnum coaluerunt Ecclesia & Imperium.*

10. Ex vtroque sic argumentor: Duo sunt regna in hoc mundo: Vnum Ecclesiæ, alterum reipublicæ. Hæc, quamdiu duo manent, nec in vnum coalescunt, habent duos distinctos primates. At in nouo Testamento, quod Christus instituit, manent duo, nec in vnum coalescunt: Ergo in nouo Testamento sunt duo distincti primates, quorum alter Ecclesiæ, alter reipublicę primatum habet.

bet. Ergo Rex vel Imperator, qui habet primatum reipublicæ, non habet ſimul primatum Eccleſiæ.

11. Hæc omnia concedit Thomſonius, Sacellani defenſor. Solum addit, primis ducentis annis rē ita habuiſſe. Tunc Apoſtolos & Epiſc. fuiſſe primates Eccleſiæ; Reges & Imperatores, reipublicæ. At poſt ducentos annos, circa tempora Conſtantini, ſecus factum eſſe. Tunc enim Reges & Imperatores, vtrũque regnũ, tam Eccleſiæ, quam reipub. cepiſſe adminiſtrare. Priorem partem accipio; & ſic pergo. Apoſtoli & Epiſc. non alio iure habuerunt primatum Eccleſiæ, primis ducentis annis, quam iure diuino noui Teſtamẽti. Hoc autem ius, nec mutatum eſt, nec ab Apoſtolis translatum ad Reges & Imperatores, ſed ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores. Ergo adhuc manet apud Epiſcopos. Non ergo Reges vſurpare illud debent.

12. In hoc diſcurſu, præter ea, quæ vltro conceduntur à Sacellano & Thomſonio, aſſumpſi tria principia. Primum eſt,

est, quod Apostoli iure diuino adepti sint primatũ Ecclesiæ. Hoc ab aduersariis negari non potest. Non enim aliunde, quam à Christo illum acceperũt. Alterum quod hoc ius mutatum non sit. Non enim mutari potest, nisi à Deo. At non constat, à Deo mutatum esse. Tertium, quod ab Apostolis non sit translatum ad Reges, sed ad Episcopos. Nihil certius. Non enim pro arbitrio humano transferri potuit ad quoscunque sed ad eos duntaxat, ad quos Deus trãsferri voluit. At Deus in nouo Testamento nunquam insinuauit, se voluisse, vt ab Apostolis, post ducentos annos, ad Reges transferretur. Nec puto quenquam, qui sanæ mentis sit, tergiuersari hic posse.

Conclusio huius Capitis.

1. Ex dictis facile apparet, quid de Iuramento primatus Regii dicendum sit: Et speciatim, quid respondendum ad has quæstiones. 1. An Catholici possint præstare hoc iuramentum. 2. An

Puritani

Puritani poſſint. 3. an etiam Henriciani. Ac primo certum eſt, Catholicos bonâ conſcientiâ non poſſe. Ratio eſt, quia nemo poteſt bonâ conſcientiâ id confirmare iuramento, quod iudicat apertè falſum eſſe. At Catholici iudicant apertè falſum eſſe, quod Rex habeat primatum Eccleſiæ: Ergo non poſſunt bonâ conſcientia primatum Regis iuramento confirmare. Potius cum Moro & Roffenſi debent glorioſam mortem oppetere, quam falſo iuramento ſe obſtringere.

2. Puritani, ſi qui præſtant hoc iuramentum, non candidè & ingenuè, vt ſcribit Sacellanus, ſed ſubdolè & contra conſcientiam id faciunt. Quod ſic probo. Qui aliud in animo ſentit, aliud iuramento affirmat, periurus eſt, & contra conſcientiam facit: At Puritani, aliud in animo ſentiunt, aliud iuramento affirmãt. Sentiunt cum Caluino, Reges non habere primatum Eccleſiæ, vt ſupra oſtenſum eſt; & tamen cum Henricianis iuramento confirmant primatum Regiũ. Ergo periuri ſunt, & contra

con-

conſcientiam faciũt. Hic mecum ſentit Rex, & diſſentit à Sacellano. Rex dicit, Puritanos eſſe perfidos, & latronib. deteriores: Sacellanus dicit, ingenuos eſſe in præſtando iuramento. Hanc tamen diſſenſionem conantur excuſare Burhill. & Thomſonius. Sed & ipſi, cum hoc faciunt, inter ſe diſſentiunt. Nam Burhillus ſcribit, Regem loqui de Puritanis in Scotia; Sacellanum de Puritanis in Anglia. Hos ingenuos, illos pſidos eſſe: non vitio religionis, cum eandem vtrique ſectentur religionem; ſed, quia alios mores habent hi, alios illi: Thomſonius aliter. Diſtinguit duo genera Puritanorum, qui non moribus tantum, ſed etiam religione inter ſe diſtent. Alios vocat *factioſos homines, puros putos Phariſæos, antiquitatis oſores*. Alios, *bonos quidem & probos viros, qui ſummam doctrinæ Anglicanæ probant, ſed tamen in praxi & diſciplina Eccleſiæ, quædam deſiderant, quæ dicere non poſſunt*. Addit, Regem loqui de prioribus; Sacellanum de poſterioribus. Vtri credam, Burhillo, an Thomſonio?

3. Eſt

3. Est tamen notandũ, quod Thomsonius insinuat. *In praxi,* inquit, *& disciplina Ecclesiæ Anglicanæ, quædam desiderant, quæ dicere nõ possunt.* Hoc ipsum est hulcus quod tangitur. *Desiderant quædam in praxi & disciplina Ecclesiæ Anglicanæ.* Quæ sunt illa? *Non possunt dicere.* An potius non audent? Ego dicam. Desiderant, vt causæ Ecclesiasticæ deferantur ad Consistorium, neq; Rex vsurpet sibi primatum Ecclesiæ. Hoc desiderãt. Sed non audent dicere, quia proderent suum periurium, & ostenderent se hactenus contra mentem iurasse in primatum Regis.

4. Henriciani, non quidem perfidè, vt Puritani, sed tamen stultè ac temerè faciunt, præstando hoc iuramentum. Nam stultum ac temerarium est, rem dubiam & incertam iuramento confirmare. At primatus Regius, res planè dubia & incerta est apud Henricianos. Non enim constat apud illos, quid sit primatus, & quæ officia illi conueniant. Imo, quod amplius est, aliquot argumenta superius allata sunt ex ipsorum doctrina,

doctrina, quibus primatus ille penitus euertitur. Ergo eiusmodi primatum iuramento confirmare, stultum ac temerarium est.

CAPVT III.

De Iuramento Fidelitatis.

HActenus actum est de Iuramento primatus Regii. Nunc de altero, quod vocant iuramentum fidelitatis, agendum est. Quæritur ergo, an Catholici in Anglia, bona conscientiâ præstare possint hoc iuramentum, non obstante prohibitione Pontificis. Quæ quæstio dupliciter intelligi potest. Primo, de iuramento fidelitatis secundum se spectato, quatenus præcisè iuramentum fidelitatis est. Secundo, de iuraméto fidelitatis sub ea verborum formula, qua à Rege propositum est. De priori sensu non est difficultas. Fatemur Catho-

Catholicos in Anglia, non ſolum poſſe, ſed etiam debere, ſuo Regi fidelitatem & obedientiam præſtare in rebus ciuilibus; non minus, quam id faciunt Catholici in Hiſpania, Frãcia, & alibi. Ratio eſt, quia ius naturale poſtulat, vt ſubditi fidelitatem & obedientiam præſtent ſuo ſuperiori, in iis rebus, in quibus ſuperior eſt. At Rex Iacobus eſt ſuperior in rebus ciuilibus: Ergo ſubditi, iure naturali, debent illi præſtare fidelitatem & obedientiam in iiſdem rebus. Quam ſi iuramento confirmari ſibi voluiſſet, ſummus Pontifex non fuiſſet repugnaturus.

2. De poſteriori ſenſu controuerſia eſt, an ſcilicet Catholici in Anglia poſſint vel debeant præſtare iuramentum fidelitatis, ſub ea verborum formula, qua illis propoſitum eſt à Rege. Eſt autem hæc formula. *Ego A.B. verè & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in cõſcientia mea coram Deo & mundo, quod ſupremus Dominus noſter Rex Iacobus, eſt legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum &*

terra-

terrarum: Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullam aliam authoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscunque aliis, aliquam potestatem, nec authoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maiestatis suæ Dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas inuadere authoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientia & subiectione exonerandi, aut ullis illorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ personæ, statui, vel regimini, vel aliquibus suis subditis infra dominia sua offerendi. Item, iuro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis, aut depriuationis facta vel concessa, aut fienda vel concedenda per Papam vel successores suos, vel per quãcunq; authoritatem deriuatam, vel deriuari prætensam ab illo, seu à sua Sede contra dictum Regem, hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia; fideli-

tatem tamen & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus & successoribus suis præstabo: ipsum que & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes & attentata quæcunque, quæ contra personam illius, vel illorum, eorumque coronam ac dignitatem, ratione vel colore alicuius sententiæ vel declarationis, aut alias facta fuerint, defendam: omnemque operam impendam reuelare & manifestum facere suæ Maiestati, hæredibus & successorib. suis, omnes proditiones & proditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum meum peruenerint: Præterea iuro, quod ex corde abhorreo, detestor & abiuro, tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propositionem; Quod principes per Papam excommunicati vel depriuati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunq; deponi, aut occidi. Et vlterius credo, & in conscientia mea resoluor, quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet, me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi. Quod iuramentum agnosco recta ac plena authoritate esse mihi legitime ministratum,

tum, omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuncio. Hæcque omnia planè ac sincerè agnosco & iuro, iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum ac communem sensum & intellectum eorum verborum, absque vlla æquiuocatione, aut mentali euasione, vel secreta reseruatione quacunq;. Hancq; recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè & verè in vera fide Christiani viri. Sic me Deus adiuuet. Hucusq; formula.

3. Est ergo quęstio, an Catholici sub hac formula possint ac debeãt pręstare hoc iuramentũ suo Regi? Affirmat Rex. Negat Pontifex. Pro Pontifice stant Cardinalis Bellarminus, Gretserus, alii. Decisio quęstionis pẽdet ex eo, an omnes partes seu propositiones illius iuramẽti sint veræ? Nã si omnes veræ sunt, iuramentũ pręstari potest: si omnes, vel aliquę falsę, nõ potest. Sicut enim iuramentum non est vinculum iniquitatis; ita nec falsitatis aut mendacii. Igitur prius examinandũ est, an aliquę partes huius iuramenti falsę sint, nec ne. Et mihi quidẽ certũ est, nõ omnes falsas esse, si benè explicẽtur.

Nam hæ veræ ſunt. 1. quod Iacobus ſit Rex Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ. 2. quod in iiſdem regnis ſit Dominus in temporalibus. 3. quod Pontifex, ſine legitima cauſa, non poſſit illum excommunicare. 4. quod ſine legitima cauſa non poſſit illum deponere aut ſubditos à ciuili obedientia liberare. Et quæ ſimiles ſunt. At de his poteſt eſſe quæſtio. 1. an Pontifex poſſit Regem, ſi id meritus ſit, excommunicare. 2. an poſſit illum, ſi meritus ſit, deponere, aut ſubditos ab obedientia liberare. 3. quo iure id poſſit. 4. & in quo caſu. Hæc videntur negari in iuramento à Rege propoſito. Verè, an falſo, iam videbimus. Ex quo tandem conſtabit, quid de toto iuramento ſentiendum ſit.

I. QVÆSTIO.

An Pontifex poßit Regem, qui id meritus ſit, excommunicare?

1. DVplex eſt Excommunicatio, maior & minor. Maior, de qua hic agimus,

gimus est censura seu pœna Ecclesiastica, qua homo Christianus propter delictum & contumaciam, eijcitur extra Ecclesiam, & priuatur communibus Ecclesiæ bonis. Nam sicut is, qui in Republica ciuili contumax & rebellis est suo Principi, vel Magistratui, potest eiici in exilium, & priuari priuilegiis & commodis illius Reipublicæ, ex qua eiicitur; sic etiam fit in Ecclesia. Sunt autem triplicia bona Ecclesię, quib. homo priuatur per excommunicationem. 1. Sacramenta. 2. publicæ preces & suffragia. 3. communis conuictus & conuersatio fidelium inter se. Igitur, qui excommunicatus est, non potest admitti ad Sacramenta, nec est particeps publicarum precum ac suffragiorum, quæ fiunt in Ecclesia; nec potest cum aliis Christianis in communi conuictu seu societate conuersari, iuxta illud Apostoli, 1. Cor. 5. *Scripsi vobis, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Et v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis.*

2. Potestas infligendi hanc pœnam concessa est Apostolis & eorum successoribus, Matth. 18. 15. his verbis; *Si peccaverit*

uerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbū. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam, id est, Prælatos Ecclesiæ, *non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, id est, priuetur omnibus Ecclesiæ bonis, quibus ethnici & publicani priuati sunt. Est autem concessa propter duos potissimum fines. Primo, in commodū & vtilitatem delinquentium, vt quando vident se excludi à consortio aliorū, confundantur & resipiscant, iuxta illud Apostoli, 2. Thess. 3. 14. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Secundo, in bonū & cautelam aliorum, ne inficiantur, iuxta illud, 1. Cor. 5. 6. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Vide D. Augustinum lib. 3. contra epistolam Parmeniani, vbi prolixè & eleganter de hac re disputat.

3. Hac potestate sæpè vsus est Apostolus. Primo, quando incestuosum Corinthum *Satanæ tradidit in interitum*

carnis,

carnis. (1. Corinth. 5. 3.) Secundo, quando Alexandrum & Hymenæum propter heresim excommunicauit (1. Tim. 1.20) Tertio, quādo ad Galatas scripsit; *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et ad Thessalonicenses; *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Vbi obiter notandum est, hæc ferè pro eodem vsurpari in scripturis & Patribus, 1. Excommunicare aliquem 2. eiicere de Ecclesia. 3. auferre de medio. 4. tradere Satanæ. 5. habere pro ethnico & publicano 6. nec cibum cum illo sumere. 7. nec cum eo commisceri 8. arcere à communione fraternitatis. 9. sacramēto benedictionis exauthorare. 10. communicatione interdicere. 11. à cōmunione orationis, & omnis sancti cōmercii relegare. Et speciatim aduertit Augustinus in quæstionibus super Deuteron. quęst. 39. hanc formulā loquendi, *Auferte malum ex vobis*, aliter accipi in veteri Testamento, aliter in nouo. In veteri, idem esse, quod *Interficite*; in nouo, idē, quod

Excommunicate. Vnde subiicit. *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio*.

4. His positis, quæstio est, an Pontifex possit Regem Christianum, qui id meritus sit, excommunicare, seu communibus Ecclesiæ bonis priuare? Nihil certius apud Catholicos. Imo, tam certum apud omnes hoc est, quàm certo persuasum habent, Pontificem esse Christi Vicarium in Ecclesia, & omnes Christi oues illi commissas esse: ideoq; , quod Petro dictum est, *Pasce oues meas*, etiam Pontifici, tanquam Petri successori, dictum esse interpretantur. Sicut ergo Pastor potestatem habet non solum pascendi & gubernandi oues, quæ ipsius curæ commissæ sunt; sed etiam morbidas & infectas ab aliis separandi, seu ex ouili depellendi, ne noceant cæteris; sic etiam de Pontifice, respectu fidelium, sentiendum est Cùm ergo quilibet Rex Christianus sit ouis Christi, sanè, si contingat illum delinquere & contagionemcontrahere, poterit per Pastorem separari ab aliis, donec sanetur & resipiscat.

5. Hu-

5. Huius rei varia exant exempla. Tãetsi enim, primis trecentis annis post tempora Apostolorum, non legamus vllum Regem aut Imperatorem fuisse excommunicatum, quia vix vlli erant tunc Reges aut Imperatores Christiani, qui excommunicari possent (gentiles enim non excommunicantur) tamẽ deinceps non pauci hac pœna castigati sunt. Primo, Theodosius Imperator ab Ambrosio Episcopo. Secundo, Arcadius Imperat. & Eudoxia ab Innocentio I. Tertio, Leo Isauricus Imp. à Gregor. II. Quarto, Desiderius Longobardorum Rex ab Adriano Papa. Quinto, Robertus Francorum Rex ab Episcopis Galliæ. Sexto, Henricus III. Imp. à Gregorio VII. in synodo Romana. Septimo, Petrus Aragoniæ Rex à Martino Papa. Octauo, Philippus Francorum Rex à Paschali Pontifice. Nono, Henricus IV. Imp. à Legatis eiusdem Pontificis. Decimo, Rogerius Siciliæ Rex ab Innocentio II. Vndecimo, Wilielmus Siciliæ Rex ab Adriano IV. Duodecimo, Fridericus Imp. ab Alexandro III. in Con-

cilio Lateranensi. Decimo tertio, Henricus Angliæ Rex ab eodem Pontifice. Decimo quarto, Vvilielmus Scotorum Rex à Legatis Pontificis. Hæc, & similia exempla in historiis passim obuia sunt. Nec aduersarii negare id possunt. De sequenti quæstione maior difficultas est.

II. QVÆSTIO.

An Pontifex possit Regem, qui id meritus sit, deponere?

1 ALiud est, excommunicare Regē; aliud, deponere seu regno priuare. Nec alterum cum altero, necessario connexum est. Multi Reges & Imperatores fuerunt excommunicati, nō tamen ideo depositi: Et contra, multi depositi, non tamen ideo excommunicati. Est ergo quæstio, an Pontifex, qui potest Reges & Imperatores excōmunicare, vt dictum est; possit etiam deponere

ponere, ſi id meriti ſint? Negant author iuramenti fidelitatis, Sacellanus, Barclaius. Affirmant Catholici. Et merito. Nam in generali Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. ca. 3. id declaratum eſt his verbis: *Moneantur autem & inducantur, &, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſæculares poteſtates, quibuſcunque fungantur officijs, vt ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publicè iuramẽtum, quod de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt: ita, quod amodo quandocunque quis fuerit in poteſtatem ſiue ſpiritualem, ſiue temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et, ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, vt ex tunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & ter-*

ram

ram exponat Catholicis occupādam, qui eam exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione, possideant, & fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent Dominos principales.

2. Ex quibus verbis tria colligimus. Primum est, quod omnes Reges & Principes, siue sint supremi Domini suorum regnorum ac prouinciarum, siue alios supra se agnoscant, teneantur sub iuramento promittere, quod velint ex suis regnis ac prouinciis exterminare hæreticos, qui ab Ecclesia damnati sunt. Alterum, quod si moniti ab Ecclesia, id facere neglexerint, excommunicādi sint à Metropolitano & Episcopis comprouincialibus. Tertium, quod si ne tunc quidem infra annum obtemperarint, priuandi sint suis regnis ac prouinciis, & subditi ipsorum, à debito fidelitatis, per Pontificem, absoluendi.

3. Igitur, quicunque agnoscunt authoritatem huius Concilii Lateranensis,

ſis, fateri debent, Reges & Principes, nõ ſolum excommunicari, ſed etiam deponi poſſe per Pontificem, ſi contumaces ſint. At omnes Catholici eam agnoſcunt. Nec mirum. Primo, quia fuit Concilium generale ſeu Oecumenicum. Secundo, quia & à Pontifice fuit approbatum, & communi totius orbis Chriſtiani conſenſu receptum. Tertio, quia fuit longè maximum & celeberrimum. Nã præter Pontificem, adfuerunt duo Patriarchæ per ſe, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus: duo per Legatos, Alexandrinus & Antiochenus. Pręterea Archiepiſcopi ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti, Abbates & Priores octingenti. Denique Legati Imperatorum, orientis & occidentis: Regũ verò, Hieroſolymæ, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri. Vno verbo, orbis Chriſtianus interfuit. Igitur quidquid in eo Concilio ſtatutum ac declaratum eſt, communi totius orbis Chriſtiani conſenſu ſtatutum ac declaratum eſſe, cenſeri debet. At ibi ſtatutum ac declaratum eſt, Reges & Principes, propter contumaciam,

ciam, à Pontifice deponi posse. Ergo id communi totius orbis Christiani consensu statutum ac declaratum esse, censeri debet.

4. Eundem consensum approbarunt omnes Theologi & scriptores, quotquot postea secuti sunt. Ex Italia D. Thomas, Bonauent. Ægidius Romanus, Augustin. Triumphus, Anton. Isidorus Mediolanensis, Caietanus, Syluester, Prieras, Astensis, Panormitanus, Archidiaconus, Bartholus, Baldus. Ex Gallia. S. Bernardus, Petrus Paludanus, Durandus, Heruæus, Almaynus, Ostiensis, Bertrandus, Ioannes de Sylua, Stephanus Aufrerius, Ioannes Faber, Ægidius Bellamera, Ioannes Quintinus, Remundus Ruffus. Ex Hispania, S. Raymundus, Pelagius Aluarus, Turrecremata, Franciscus Victoria, Dominicus Sotus, Alphonsus à Castro, Iacobus Simanca, Dominicus Bannes, Martinus Ledesmius, Gregorius de Valentia, Antonius Cordubensis, Ludouicus Molina, Didacus Couarruuias, Ferdinandus Vasquius, Martinus Nauarrus,

uarrus, Alphonſus Aluarez. Ex Germania, Hugo de ſancto Victore, Henricus de Gandauo, Gabriel Biel, Vlricus, Dionyſius Carthuſianus, Ioannes Driedo, Albertus Pighius, Iacobus Latomus, Conradus Brunus. Ex Anglia & Scotia, Alexander Alenſis, Robertus Olkot, Franciſcus Maironus, Ioannes Bachonus, Thomas VValdenſis, Reginaldus Polus, Nicolaus Sanderus. Horum teſtimonia citantur à Cardinale Bellarmino, in Tractatu de poteſtate Summi Pontificis. Sed iam ſupereſt quæſtio, quo iure Pontifex poſſit Reges contumaces deponere, quæ deinceps explicanda eſt.

III.QVÆ

III. QVÆSTIO.

Quo iure possit Pontifex Regem, qui id meritus sit, deponere?

1 CErtum est, vt minimum, iure humano id posse. Quod sic probo. Quidquid ex communi cõsensu totius orbis Christiani permissum est, hoc iure humano permissum esse, censeri debet: At in Concil. Lateranensi, ex communi consensu totius orbis Christiani permissum est, vt Pontifex deponat Reges & Principes contumaces: Ergo, iure humano, id permissum esse censeri debet. Maior per se nota est, quia sicut illa dicuntur esse permissa iure gentium, quæ communi gentium consensu permissa sunt, vt diuisio & proprietas possessionum, bella, captiuitates, seruitutes, emptio, venditio, & similes contractus: sic etiam illa dicuntur esse permissa iure Christianorũ, quæ communi Christianorum consensu permissa sunt.

Est

Est autem permissum, vt Pontifex possit deponere Reges & Principes contumaces. Ergo pontifex iure Christianorum id facere potest. Neque hoc ius, quatenus humanum est, mutari aut abrogari potest ex vnius Regis aut principis voluntate; sed sicut communi omnium consensu constitutum, approbatum & receptum est; ita non nisi communi consensu mutari aut abrogari debet.

2. De iure diuino controuersia est. Ea decidi potest ex duplici quæstione. Prior est, quid in veteri Testamento permissum fuerit Pontifici in hac re. Posterior, quid in nouo Testamento, ante Concilium Lateranense, factum aut concessum sit. De priori sic sentio. Pontificem in veteri Testamento habuisse potestatem deponendi Reges, si id meriti essent. Quod dupliciter probari potest. Primo ex iure veteris Testamenti. Secundo, ex facto.

3. Ex iure sic argumentor. Pontifex in veteri Testamento habebat triplex ius circa leprosos. Primo, ius iudicandi

ſeu decernendi de ipſorum lepra. (Leuit.13. 2.) Secundo, ius ſeparandi eos ab aliorum ſocietate & habitatione (ibidẽ, v.44.) Tertio, ius imperandi, vt interficerentur, ſi contumaces eſſent, & nollent ipſius ſententiæ obedire. (Deuteron.17.12.) At fieri poterat, & aliquando factum eſt, vt etiam Reges eſſent leproſi. Ergo Pontifex habebat etiam circa Reges hoc triplex ius. Poterat ergo mandare, vt ſeorſim habitarent; &, ſi nollent obedire, vt vita priuarentur. Nihil certius. Nec hoc latuit Oziam Regem. Cùm enim, propter lepram, à Pontifice è templo eiectus, & ſeorſim habitare iuſſus eſſet, ſtatim obtemperauit; veritus, ne ſi contumax eſſet, etiam morte puniretur. (2.Paral.26. 21.) Hinc colligimus, Pontificem duplici titulo potuiſſe Reges priuare ſuo regno. Primo, quia poterat eos, ſi contumaces eſſent, priuare vita: Ergo & regno. De hoc nemo dubitat. Secundo, quia etiamſi contumaces non eſſent, poterat iubere, vt propter lepram ſeparati habitarent extra caſtra vel vrbem. Hæc autem ſeparatio,

paratio, si perpetua esset (cuiusmodi fuit separatio Oziæ Regis) includebat priuationem regni, vel certè administrationis regni Hoc quidem aliqui negant; sed tamen facile probari potest exemplo Oziæ, qui propter perpetuam separationem regno exutus est. Id apertè colligitur ex illo, 2. Parali. 26 21. *Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsq; ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata. Porro Ioathan filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ*, id est, filius successit illi in regno. Ipse igitur regno priuatus est. Quod clarius tradit Iosephus li. 9. Antiq. ca. 11. his verbis; *Et cum aliquamdiu priuatus extra vrbem vixisset, filio Iothamo Rempublicam administrante, mærore tandem confectus obiit.* Et facile conuinci potest ex lege leprosorum, quę sic habet, Leuit. 13. 46. *Omni tempore, quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra.* At, qui propter immunditiam solus habitat extra castra, præsertim vsque ad finem vitæ, nullo modo potest regnum administrare, neque deinceps habere spem administrandi:

Ergo, tametsi titulo Rex sit, reipsa tamen esse non potest. In quo multum differt à pupillo, qui quidem, quamdiu pupillus est, per se administrare non potest: sed tamen habet spem suo tempore administrandi.

4. Ex facto sic argumentor. Quidquid Ioiada Pontifex rectè ac laudabiliter fecit, hoc iure fecisse credendum est: sed Athaliam Reginam rectè ac laudabiliter priuauit regno. Ergo iure id fecisse credendum est. Maior per se nota est. quia nihil potest rectè ac laudabiliter fieri, nisi quod iure fit. Nam si contra ius fieret, non rectè ac laudabiliter fieret. Minor disertè habetur in Scripturis, 4. Reg. 11. & 2. Paral. 22. Ex quibus locis hæc tria euidẽter colliguntur. Primo, Athaliam fuisse ex stirpe regia, & quidem triplici titulo. Erat enim filia Regis Achabi; vxor Regis Ioram; mater Regis Ochoziæ. Secundo, eandem Athaliam, mortuo filio Rege, per vim & tyrannidem occupasse regnum. Tertio, sex annis regnasse, & tandem, septimo anno ex mandato Pontificis, regno exutam esse.

5. QVÆ-

5. QVÆRES I. An sex illis annis legitimè regnauerit? Aliqui negant. Primo, quia is non videtur legitimè regnare, qui per tyrannidem inuadit regnum: Athalia per tyrannidem inuasit regnũ: Ergo non potuit legitimè regnare. Secundo, quia ius regni pertinebat ad Ioas, filium Regis Ochoziæ: Ergo Athalia non poterat sibi illud vendicare. Hæ tamen rationes non obstant. Non prior, quia aliud est, acquirere regnum; aliud verò, acquisitum administrare. Potest fieri, vt qui per tyrannidem acquirit regnum, iure tamen ac legitimè administret. Nam ad legitimam administrationem sæpè sufficit consensus & obedientia subditorum. Potest autem fieri, vt subditi consentiant & libenter obtemperent illi, qui tyrannicè regnũ occupauit; ac proinde, vt is, qui initio tyrannus erat, postea legitimus sit Rex. Huius rei varia extant exempla, tam in sacris historiis, quàm prophanis. Per tyrannidem regno potiti sunt Baasa, Zambri, Sellum, Manahem, Phacee, Osee; & tamen recensentur inter veros & legiti-

mos Reges Israel. Idem dico de Othone, Vitellio, Vespasiano, Philippo & aliis non paucis, qui à Senatu populoque Romano, Imperatores salutati sunt; & tamen per vim & tyrannidem ad imperium peruenerunt. Simile est de Athalia. Interfecit alios regni successores, vt ipsa regnaret; sed tamen consentiente & approbante populo regnauit. Imo, nisi populus illi adhæsisset, non ausa fuisset regni successores interficere.

6. Nec obstat posterior ratio, quia quamdiu non constat, alium esse regni successorem, tamdiu ius regni censetur ad illum pertinere, qui de facto regnum administrat, præsertim populo consentiente. At totis sex annis, quibus regnauit Athalia, non constabat alium esse regni successorem. Omnes enim putabantur esse interfecti ab Athalia. Et quamuis superesset Ioas puer, hoc tamen nemo sciebat, nisi Pontifex & vxor eius, qui illum occultè nutriebant. Igitur Athalia, & omnes subditi, bona fide procedebant: illa imperando; hi parendo: Nec quisquam illorum po-

terat

terat suspicari, superesse aliquem, cui ius regni deberetur. Et hæc est causa, cur Scriptura non aliter loquatur de Athalia, quam de aliis Regibus, quos constat legitimè regnasse. Sic enim de ea loquitur, 4. Reg. 11. 3. *Porro Athalia regnauit super terram.* Et 2. Paralip. 22. 12. *Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnauit Athalia super terram.*

7. QVÆRES 2. An Pontifex propria authoritate Athaliam regno priuauerit? Ratio dubitandi est, quia non fuit ausus id facere, nisi facta conspiratione cum Centurionibus & militibus: at si propria authoritate fecisset, quid opus erat hac conspiratione? Respondeo. Et propria authoritate fecit, & tamen opus erat conspiratione. Non enim poterat exequi, quod volebat, sine potentia & armis. Nam Athalia, quæ iam sex annis regnauerat, habebat multos satellites, & armatos milites apud se; neque passa fuisset se exui regno; sola iussione & authoritate Pontificis, nisi maior

vis & potentia accessisset. Igitur Pontifex, ne frustra laboraret, sua authoritate conuocauit centuriones, Sacerdotes & Leuitas: distribuit illis lanceas, clypeos, & reliqua arma ad bellum necessaria: posuit vbique fidas custodias; & cùm omnia rite disposita essent, subrogato nouo Rege, Athaliam regno spoliauit. Quod autem propria authoritate, & quasi imperio Pontificali, hæc omnia fecerit, tripliciter probari potest. 1. ex Scriptura. 2. ex Iosepho. 3. ratione. Scriptura sic loquitur, 4. Reg. 1.4. *Ioiada assumens centuriones & milites, præcepit illis, dicens.* Et v. 9. *Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Et 2. Paral. 23.8. *Fecerunt ergo Leuitæ & vniuersus Iuda iuxta omnia, quæ præceperat Ioiada Pontifex.* Eodē modo loquitur Iosephus li. 9. Antiq. c. 7. vbi inter cetera sic habet; *Ioiada, accitis Cēturionibus, iubet mulierem arripi, duciq; in torrentem Cedronis, atq; illic pœnas luere: neq; enī fas esse templū veneficæ supplicio pollui. Mandauit etiā, si quis ei conetur ferre suppetias, & ipsū pariter interimi. Illi igitur, qui-*

bus

bus hoc demandatũ eſt, eductam extra portã mulorũ Regis, illic interficiunt. Igitur omnia ex præcepto, mandato, & authoritate Pontificis acta ſunt. Et ratio eſt, quia conſtat Pontificem legitimè ac laudabiliter feciſſe, quod fecit. Nam factum illius ab omnibus commendatur. Et ipſe alioqui fuit vir integerrimus ac ſanctiſſimus. Vel ergo publica, vel priuata authoritate fecit, quod fecit. Non priuata, quia nemini licitum eſt priuata authoritate deponere Regem, qui à ſubditis toleratur. Ergo publica. At publica authoritas non alia fuit in Pontifice, quam Pontificia. Igitur Pontificia authoritate fecit, quod fecit.

8. QVÆRES 3. Ob quam cauſam mandauerit Pontifex Athaliam regno priuari? An, quia vi & tyrannide regnum occupauerat? an, quia ſubditos ad idololatriam prouocabat? Alii hoc, alii illud aſſerunt. Vtrumque ſeruit noſtro inſtituto. Nam ex priori ſequitur, Pontificem in veteri Teſtamento habuiſſe poteſtatem deponendi omnes Reges, qui vi & tyrannide regnum oc-

cupassent. Potuisset ergo deponere Baasan, Zambri, Sellũ, Manahem, Phacee, Osee. Nã hi omnes per tyrannidẽ regno potiti sunt. Ex posteriori sequitur, habuisse potestatem deponendi omnes reges, qui subditos ad idololatriã prouocassent. Potuisset igitur ex Regib. Iuda deponere Acaz, Manassen, Amon; & quotquot fuerunt Reges Israel. Omnes enim fuerunt idololatræ. At cur id factum non est? Dicam. Tria poterant obstare. 1. quod sæpè executio non posset fieri. 2. quod non semper expediret fieri. 3. quod aliquando Pontifices non haberent satis constantem & excelsum animum, vt negotium tam arduum ac difficile auderent aggredi.

9. DICES; Ioiada Pontifex non solum regno, sed etiam vita priuauit Athaliam: Ergo si potestate Pontificia id fecit, sequitur Pontifices veteris Testamenti habuisse potestatem, non solum deponendi, sed etiã interficiendi Reges quod videtur absurdũ. Respondeo. Hoc consequens, siue verum, siue falsum sit, non legitimè infertur ex illo antecedente; quod

quod sic ostendo. Ioiada Pontifex, prius priuauit Athaliam regno, deinde vita. Itaque priuauit illam regno, vt Reginam & publicam personam. priuauit autem vitâ, vt priuatam personam. Rursum, priuauit illã regno, propter causas paulo ante assignatas, id est, propter tyrannidẽ & idololatriam: priuauit vitâ, propter nouam seditionem, quam volebat excitare. Cum enim ingressa templum, videret nouum Regem coronatum ac proclamatum esse, ac se regno destitutam, clamauit, *Coniuratio, coniuratio*, (4. Reg. 11. 14.) Et ob eã causam iussa est interfici. Itaq; non valet hæc consequentia; Pontifex potestate Pontificia priuauit Athaliam regno & vita: Ergo habuit potestatem, non solum deponendi, sed etiam interficiendi Reges. Hoc solum sequitur, habuisse potestatem interficiendi priuatam personam, quæ publicam seditionem moliebatur, vel defendendi nouum Regem contra nouam coniurationem.

10. Atq; hæc sufficiant de iure & potestate deponendi Reges in veteri Testamen-

ſtamento. Supereſt altera pars quæſtionis, quid Pontifici in nouo Teſtamento, ante Concilium Lateranenſe, permiſſum in hac re fuerit. De qua ſic ſentio cum Catholicis; permiſſum illi fuiſſe, vt poſſet Reges Chriſtianos deponere, ſi id meriti eſſent. Quod tripliciter probari poteſt. Primo, ex fundamento aduerſariorum. Eſt autem hoc eorum fundamentum, eandem eſſe proportionem Regum & Pontificum in nouo Teſtamento, quæ fuit in veteri. Ex quo ſic argumentantur; Quicquid poteſtatis ac iuriſdictionis permiſſum fuit Regibus in veteri Teſtamento, hoc etiam in nouo permiſſum illis eſt: At in veteri permiſſum illis fuit, vt gubernarent Eccleſiam, & eſſent ſupra Pontifices: Ergo etiam in nouo illis permiſſum hoc eſt. Ex eodem ego ſic argumentor; Quicquid poteſtatis ac iuriſdictionis permiſſum fuit Pontifici in veteri Teſtamento, hoc etiam in nouo permiſſum illi eſt: At in veteri permiſſum illi fuit, vt deponeret Reges, ſi id meriti eſſent: Ergo etiam in nouo permiſſum illi

hoc

hoc eſt. Maior propoſitio, ſiue vera, ſiue falſa ſit, (de quo iam non diſputo) vltro conceditur ab aduerſariis. Minor iam ante probata eſt. Concluſio legitimè infertur.

11. Secundo, ex authoritate Gregorii Magni Pontificis, quam etiam aduerſarii admittunt. Nam Guilielmus Tookerus, qui eſt vnus ex aduerſariis, de hoc Gregorio ſic ſcribit in ſuo Duello; *Ille Gregorius fuit omnium Pontificum, qui anteceſſerunt, eruditione ac pietate maximus; qui ſubſecuti ſunt, optimus & ſpiritu humilitatis pleniſſimus.* Quid ergo tantus Pontifex ſenſit de hac noſtra controuerſia? Idem, quod nos. Nam in fine cuiuſdam priuilegii, quod ipſe conceſſit Xenodochio Auguſtodunenſi, ſic habet; *Si quis Regum, Sacerdotum, Iudicum ac perſonarum ſecularium, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei noſtri Redemptoris Ieſu Chriſti alienus fiat.* Et in fine alterius priuilegii, quod conceſſit Monaſterio ſancti

cti Medardi, sic habet; *Hæc igitur omnia, quæ huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis priuilegio continentur, præfati Monasterij Rectoribus, & filijs præsentibus & futuris, sub anathemate seruanda cõstituimus. Si quis autem Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque sæcularium personarum, huius Apostolicæ authoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, vel fratres inquietauerit vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscunque dignitatis aut sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur.* Priora verba habentur libro 11. Epistolarum, capite 10. Posteriora, libro 12. post caput 31. Ex vtrisque colligitur hæc propositio; Reges & Principes, qui violauerint priuilegia à Pontifice concessa, excommunicandos, & sua dignitate ac honore priuandos esse.

12. Hac tanti Pontificis authoritate, vsus est alius Pontifex, nempe Gregorius

rius ſeptimus in Epiſtola ad Epiſcopum Metenſem, vbi ſic argumentatur; ſi beatus Gregorius voluit deponi & excommunicari Reges, qui violabant decreta Pontificum ; certè nemo poteſt me reprehendere, quod depoſuerim & excõmunicauerim Hẽricum Imperatorem, qui grauiori ſcelere ſe obſtrinxit. Verba illius ſunt hæc : *Beatus Gregorius Papa Reges à ſua dignitate cadere ſtatuit, qui Apoſtolicæ ſedis decreta violare præſumpſerint ſcribens ad quendam Abbatem, his verbis; Si quis Regum, &c.* *Quod ſi beatus Gregorius, Doctor vtique mitiſſimus, Reges, qui ſtatuta violarent, non modo deponi, ſed etiam excommunicari decreuit; quis nos Henricum, non ſolum Apoſtolicorum iudiciorum contemptorem, verum etiam ipſius matris Eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, conculcatorem, totiuſq; regni & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem, & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat, ni fortè ſimilis eius?* Habentur hæc verba lib.8. Epiſt.21.

13. Tertio probatur variis exemplis. primo, Greg. II. non ſolum excommuni

municauit Leonem Imperatorem, sed etiam priuauit illum parte Imperii sui, quia prohibuit Italis, ne amplius soluerent illi vectigalia, (Ita Cedrenus & Zonaras in vita Leonis Isauri, Baronius tomo 9. Annalium, ad annum Christi 730. & alii passim.) Secundo, Zacharias Papa deposuit Childericum Francorum Regem & in eius locum substituit Pipinũ Caroli Magni patrem. (Ita Eginarthus, Aimoinus, Rhegino, Marianus Scotus, Abbas Vrsbergensis, Otto Frisingensis, & alii citati apud Cardinal. Bellarmin. in tract, de potestate sum̃i Pontificis, c. 42.) Tertio, Leo tertius Pontifex transtulit Imperium à Græcis ad Germanos. (Ita Zonaras, Cedrenus, Paulus Diacon. & plures alii apud eundem Bellarm. lib. 1. de translatione Imperii, cap. 4.) Quarto Gregorius septimus, vt supra dixi, deposuit Henricum Imp. Quinto, Innocentius tertius deposuit Ottonem quartũ. (Ita Blondus. decade 2. lib. 6.) Et hæc omnia contigerunt ante Concil. Lateran. de quo superius actum est. Post Concilium, similia facta sunt.

14. DI-

14. DICES; Etiamsi hæc facta sunt, non tamen constat iure facta esse. Respondeo. Ad hoc, vt iurefacta sint, duo requiruntur. Vnum ex parte Pontificum; alterum ex parte Regum. Ex parte Pontificum requiritur, vt habuerint potestatem deponendi. Ex parte Regũ, vt reipsa sint meriti depositionem. De hoc posteriori iã non disputo. De priori quæstio est. Dico igitur, supradictos Pontifices iure fecisse, quod fecerunt, id est, habuisse potestatem deponendi Reges, qui id meriti essent. Primo, quia cum inter illos fuerint viri doctissimi & sanctissimi; certè si non habuissent potestatem deponendi Reges, nunquam id fecissent. Secundo, quia factum illorum laudatur à grauissimis Scriptoribus. Tertio, quia vnusquisq; id iure facit, quod ex officio facit. At Pontifex, quando deponit Reges contumaces, ex officio id facit. Ergo iure id facit. Minorem probo, quia Pontifex est vniuersalis Pastor Ecclesiæ, cui à Christo dictum est, *Pasce oues meas*. Ergo quidquid facit ex officio Pastoris, id iure facit. Quid

autem illud est? Hoc explicari debet ex proportione & similitudine Pastoris ouium irrationalium, cuius cura & officium versatur circa multa. 1. circa oues ipsas. 2. circa arietes, qui præcedunt gregem ouium. 3. circa lupos, qui insidiantur ouibus. 4. circa canes, qui defendunt oues ab incursione luporum. Circa oues, duo præstat. Primo, præbet illis pabulum. Secundo, si aliquæ morbidæ sint, separat eas ab ouili, ne alias inficiant. Vtrunq; etiam præstat circa arietes: & præterea, si incipiant cornibus tumultuari & ouibus molesti esse, recludit eos, & ab officio deponit. Lupos arcet omni modo, quo potest. Canes deniq;, quamdiu fidi sunt, apud se retinet pro tutela & protectione ouiū: sin rabidi, aut negligentes, aut ouibus infesti euadant, mox submouet, & ab officio repellit.

15. Hæc omnia Pontifici, qui Ecclesiæ Pastor est accommodari debent. Illius cura & officium extendit se ad oues, arietes, lupos, canes. Per oues intelliguntur Christiani, qui in Ecclesia sunt: per

per arietes, Prælati Christianorum: per lupos, hæretici & infideles: per canes, partim Concionatores, qui latratu & voce; partim Reges & Imperatores, qui morsu & externa vi defendunt Ecclesiam ab incursione hæreticorum & infidelium. De his canibus loquitur. D. Augustin. in Enarratione super Psal. 67. cum ait; *Eos, qui vsq; ad sanguinem fuerant pro fide Euangelica certaturi, vocat canes, tanquam pro suo Domino latrantes.* Et ibidem; *Canes laudabiles, non detestabiles: fidem seruantes Domino suo, & pro eius domo, contra inimicos latrantes.* Igitur hi canes, quamdiu fidi & excitati sunt, Pastori ad manum esse debent. At, si languidi & otiosi, si rabidi, si inquieti, si ouibus molesti esse incipiant; mox à Pastore submouendi, & ab officio repellendi sunt. Hoc dictat recta ratio. Et hoc sensu in Concilio Lateranensi statutum est, vt supra vidimus, Reges & Principes, quando negligentes sunt in arcendis vel expellendis hæreticis, excommunicandos, & à Pontifice deponendos esse.

16. Porro in hac proportione & simili-

tudine hoc discrimen est, quod oues & arietes in ouili rusticano, naturâ suâ distinguantur à lupis & canibus: in Ecclesiastico, non naturâ sed officio & moribus. Et sæpé fit, vt iidem, quoad naturam, sint oues, arietes, lupi, canes; diuerso tamen respectu ac tempore. v. g. Reges Christiani sunt oues, quatenus pascuntur à Pastore: sunt arietes, quatenus officio & exemplo præcedunt alios: sunt canes, quatenus vi & armis defengunt Ecclesiam contra hæreticos: sunt lupi, quatenus relicta fide Catholica, fiunt hæretici & Ecclesiam persequuntur. Ex quo vlterius fit, vt pontifex, qui vniuersalis Pastor est, variis modis circa illos habere se possit. Nam quatenus oues sunt, si scabiosæ fiant, potest eas separare ab ouili. Quatenus arietes sunt, si cornibus tumultuentur, & ouibus molesti sint, potest eos recludere. Quatenus lupi sunt, potest arcere. Quatenus canes sunt, si officio desint, potest ab officio submouere. Horum aliqua facit per excommunicationem; alia per depositionem.

17. QVÆRES, quomodo fiat hæc depositio? Respon. Variis modis fieri potest. vsitatus modus est hic, vt pontifex absoluat subditos à debito seu vinculo subiectionis, quo obligati sunt suis Regibus. Nam sublato hoc vinculo ex parte subditorum, iam sponte cessat potestas & iurisdictio Regum in subditos. Vt autem legitimè hoc fiat, duo requiruntur. Vnum ex parte Pontificis, nempe potestas absoluendi. Alterũ ex parte subditorũ, nempè legitima causa cur absoluendi sint. Et quidem potestatem absoluendi accepit Pontifex à Christo, his verbis; *Quidquid solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Est autem legitima causa ex parte subditorum, quando Reges vel non defendunt suos subditos à violenta incursione hæreticorum, cùm possint; vel ipsi conantur suos subditos ad hæresin perducere; vel in aliquo simili casu. Hoc sic ostendo. Subditi habent ius, vt liberè & quietè possint viuere in fide Catholica, quam professi sunt; & præterea, vt defendantur à suis Regib. contra violentas hære-

ticorum incursiones: Ergo qui impedit hoc ius, facit illis iniuriam. At Reges, qui non defendunt suos subditos à violentis hæreticorum incursionibus, cùm possint, aut qui conantur eos ad hæresin perducere, impediunt ius subditorum: Ergo faciunt illis iniuriam. Hanc autem iniuriam, cum sit in re spirituali, potest vindicare is, qui vtrisq; præest in spiritualibus. At Pontifex tam Regibus, quàm eorum subditis, præest in spiritualibus; Ergo potest hanc iniuriã vindicare. At sæpè non potest aliter vindicare, quàm absoluendo subditos ab obedientia Regis iniuriosi, & dando illis alium Regem, à quo protegantur contra hæreticos: Ergo potest eos hoc modo absoluere à vinculo subiectionis & obedientiæ.

18. Potest & alio modo id facere, nempe per viam compensationis, quod sic declaro. Inter Reges & eorum subditos est mutua quædam promissio & obligatio. Nam subditi promittunt suis Regib. obedientiam in rebus licitis & honestis; Et vicissim Reges promittunt

suis

ſuis ſubditis fidam protectionem & gubernationem, quantum fieri poteſt. Sicut ergo ſubditi, vinculo fidelitatis, obligati ſunt ad obedientiam præſtandam ſuis Regibus; ita viciſſim Reges, vinculo fidelitatis obligati ſunt ad fidam protectionem & gubernationem præſtandam ſuis ſubditis. Si ergo Reges non præſtent fidelitatem, ad quam iure obligantur; digni ſunt, vt nec ſubditi præſtent ipſis fidelitatem, iuxta illud; *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Ergo Pontifex, qui vtriſque præeſt in rebus ad ſalutem pertinentibus, poteſt mandare & decernere, vt ſubditi non teneantur præſtare fidem Regibus, quando Reges non ſeruant ipſis fidem. Nihil certius apud Catholicos. Supereſt vltima quæſtio, quæ deinceps explicanda eſt.

VI. QVÆSTIO.

In quo casu poßit Pontifex Regem deponere?

1. HIc aduersarii, ad inuidiam nobis conciliandam, passim scribunt, nos docere, Pontificem solo suo arbitrio, sine vlla alia causa, posse deponere Reges & mutare regna. Falsum est. Nō potest hoc Pontifex; neque nos docemus posse. Quinimo, si vsquam alibi, magna cautela adhibenda, hic est: & quidem triplex. Vna, vt Rex meritus sit depositionem. Altera, vt executio fieri possit. Tertia, vt expediat illam fieri. De singulis dicam aliquid.

2. Igitur prima est, vt Rex meritus sit depositionem. Nam si meritus non est, deponi non debet. An autem meritus sit, ex prudenti doctorum ac piorum hominum iudicio æstimandum est: Et valdè cauendum, ne ex turbatione animi, vel prauo affectu, vel præcipiti consilio, & re non satis benè considerata, temerè

merè aliquid ſtatuatur. Imo, danda eſt opera, vt licet meritus ſit depoſitionem, tamen aliis remediis iuuetur, ſi fieri poteſt, quæ magis oportuna & conſentanea videantur. Si alia non proſint, tum demum depoſitioni locus eſſe poteſt.

3. Altera eſt, vt ſi meritus ſit depoſitionem, maturè deliberetur, an executio fieri poſſit, nec ne. Nam ſi fieri non poteſt, fruſtra erunt decreta & imperia, quibus mandatur executio. Tunc autem cenſetur fieri non poſſe, quando maior pars ſubditorum adhæret Regi in contumacia, & facile poteſt illum defendere contra eos, qui vrgent executionem: nec aliunde ſperari poteſt ſubſidium. Quid enim prodeſt in tali caſu decernere vel vrgere, vt deponatur Rex qui deponi non poteſt?

4. Tertia eſt, ſi Rex meritus eſt depoſitionem, & executio fieri poteſt, vt vlterius expẽdatur, an expediat fieri executionem, nec ne. Nam ſi fieret cum magno reipublicæ vel Eccleſiæ incommodo, non expediret fieri: ſecus, ſi cum inſigni fructu ac emolumento futura

putaretur. Ratio huius cautelæ sumitur ex Apost. 2. Cor. 13. 10. vbi ait; *Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Ex quo loco sic argumentor; Omnis potestas Ecclesiastica data est Pontifici & aliis Prælatis Ecclesiæ, in ædificationem, & non in destructionem: Ergo Pontifex non potest vti sua potestate in destructionem, sed tantum in ædificationem. Vteretur autem in destructionem si deponeret aliquem Regem, ex cuius depositione sequerentur plura mala, quam bona.

5. Adhibita triplici hac cautela, vix aliud est, quod prudenter requiri possit. Neque tamen putandum est, nullum vnquam errorem accidere vel interuenire posse. Nam Pontifex, sicut in multis aliis, sic etiam in hoc negotio procedere debet ex aliorum informatione. Sæpè autem contingit; vt informatio, si non ex omni parte, saltem in aliqua circumstantia, fallax aut vitiosa sit. Neque Pontifex per se, quantumuis prudenter omnia circumspiciat, caue-

re

re potest, ne ab aliis aliquando non optimè informetur.

Conclusio huius capitis.

1. Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, facile apparet, quid ad principalẽ quæstionem, quæ initio capitis proposita est, respondendum sit. Erat autem hæc quæstio, An Catholici in Anglia possint bona conscientia præstare iuramẽtum fidelitatis, sub ea verborum formula, qua illis à Rege subministratum est. Nõ posse, sic probo; Nemo potest bona conscientia præstare iuramentum, in quo cõtinetur aliqua propositio, quam iudicat apertè falsam esse: sed in iuramento fidelitatis, quod Rex proposuit, continetur aliqua propositio, quam Catholici iudicant apertè falsam esse: Ergo Catholici non possunt bonâ conscientiâ præstare hoc iuramentum.

2 Maior per se nota est, quia nemo potest bona conscientia, sine iuramento aliquid affirmare, quod iudicat falsum

ſum eſſe. Ergo multo minus cum iuramento. Nam ſi ſimplex mendacium nō eſt licitum; multo minus periurium. Minorem probo, quia in hoc iuramento, prçter alias propoſitiones, quas nunc omitto, continetur etiam hæc; *Pontificem nec per ſeipſum, nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, nec per vlla alia media, habere poteſtatem deponendi Regem.* (Taceo de excommunicatione.) At Catholici iudicant hanc propoſitionem apertè falſam eſſe; & oppoſitam, quæ in Concilio Lateranenſi continetur, apertè veram: Ergo non poſſunt bona conſcientia præſtare iuramentum, in quo ſciunt falſam illam propoſitionem contineri.

3. Clarius dicam. Hoc iuramentum. *Ego A. B. verè & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea, coram Deo & mundo, quod Pontifex nec per ſeipſum, nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, nec per vlla alia media habeat poteſtatem deponendi Regem*; æquiualet huic; *Ego A.B. verè & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea corā Deo & mundo, quod generale Concilium Late-*

Lateranense errauerit: At nemo Catholicus poteſt bona conſcientia præſtare hoc poſterius iuramentum: Ergo nec illud prius. Nemo, inquam, poteſt bona conſcientia iurare, quod generale Concilium Lateranenſe errauerit: Ergo nec poteſt iurare, quod Pontifex nõ habeat poteſtatem deponendi Regem.

4. Vtriq; ſimile eſt hoc; *Ego A. B. verè & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea, coram Deo & mundo, quod omnes Pontifices, Theologi, Iureconſulti, qui docent Pontificem habere poteſtatem deponendi Regem, in hoc puncto errent.* Quis Catholicus hoc audeat iurare? Sanè perinde eſſet, atque ſi diceret; *Ego iuro in conſcientia mea coram Deo, quod in hoc pũcto plus ſapiam quam omnes alij*. Nemo opinor, tam arrogans eſt.

5. Sed, quid ſi aliquis ex tanto numero Catholicorum dubitaret de iſto pũcto, an is ſaltem iurare poſſet? Nullo modo. Non enim cohærent hæc duo inter ſe: Ergo verè & ſyncerè agnoſco in conſcientia mea, quod Pontifex non habeat poteſtatem deponendi Regem:

Et,

Et, ego verè & sincerè dubito in conscientia mea, an Pontifex habeat potestatem deponendi Regem. Hoc posterius iurare posset; illud prius non posset.

CAPVT IV.

De ijs, quæ in libro Episcopi Eliensis continentur.

EXplicaui hactenus tria præcipua capita controuersiæ Anglicanæ, idq; propterea, ne amplius cõqueratur Episcopus Eliensis, ea fuisse à nobis prętermissa. Nunc ad eundem Episcopum me conuerto. Audi igitur Lancellotto Andrea. Hoc enim tibi nomen est. Vidi Responsionem tuam ad Apologiam Cardinalis Bellarmini; & obstupui. Putabam aliquid Episcopo dignum me ibi reperturum. Nihil apparuit. Omnia cõuitiis, illusionibus, mendaciis, prauis citationibus, ineptiis, adulationibus, & paro-

parodoxis plena sunt: Nec aliter agis cum Cardinali, quam si ludibrium tibi esset. Quid vis? An vt refellam sigillatim omnia? Non faciam. Nam & longi fastidii, & nullius penè vtilitatis id esset. An vt omnia dissimulem? Non sinit tua improbitas & petulantia. Quid ergo? Aliqua strictim attingam, ex quibus de cæteris fieri poterit coniectura. Et ea potissimum attingam, quæ vel aliquo modo ad principalem controuersiam reuocari possunt; vel certè alicuius momenti sunt. Cuiusmodi sunt hæc ferè. 1. An primatus Regis probari possit ex veteri testamento, 2. quam antiquus sit primatus Regis. 3. an sit articulus fidei de primatu Regis. 4. cur solus Rex Angliæ vsurpet sibi primatum, non item alii Reges. 5. cur Carthusiani noluerint iurare in primatum Henrici octaui. 6. an Rex Angliæ dici possit defensor & propagator fidei Catholicæ. 7. an nulla ex parte sit inferior Pontifice. 8. an sit ouis Petri. 9. an regnum Angliæ sit feudum Pontificis. 10. an Ecclesia habeat aliquod ius in excommunica-

municatos. 11. an fuerit aliquis successor Petri. 12. quam antiqui sint Cardinales. 13. an Episcopus ex institutione Christi sit maior presbytero. 14. quid sentiendum de Conciliis generalibus hactenus celebratis. 15. quale debeat esse Concilium generale. 16. an Bellarminus sibi contradixerit. 17. an aliquid immodestè scripserit. 18. an sit apostata ordinis. *19.* an Canonistæ sint parasiti. 20. an Sancti intercedant pro nobis. 21. an sint inuocandi. 22. quid senserit Ambrosius de Transsubstantiatione. 23. quid Augustinus de miraculis. 24. quæ sint scripturæ canonicæ. Et hæc sufficient. Nam hinc facile constabit, quod initio dixi, nihil præter ineptias & quisquilias in tuo libro reperiri: Neque plus momenti nunc esse in Episcopo quam nuper fuit in Sacellano.

I. QVÆSTIO.

An Primatus Regis probari poßit ex Veteri Testamento?

1. AIs probari poſſe ex illis verbis Moſis. Num. 27. 16. *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poßit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne ſit populus Domini, ſicut oues ſine Paſtore. Dixitque Dominus ad eum. Tolle Ioſue filiam Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum.* Ex quibus ſic argumentaris, pag. 92. Qui à Deo ſpirituum præficiuntur aliis, ſciunt ad ſe pertinere curam ſpirituum. ſed Ioſue, & alii Principes ac Reges à Deo ſpirituum præficiuntur aliis: Ergo Ioſue & alii Principes ac Reges ſciunt ad ſe pertinere curam ſpirituum: Ergo habent Primatum ſpiritualem.

2. Mira ſubtilitas in Epiſcopo. Et quia ſpiritus, vbi vult, ſpirat, poteris hoc

L modo

modo accommodare argumentum; Qui à Deo ſpirituum *omnis carnis* præficiuntur aliis, ſciunt ad ſe pertinere curam ſpirituum *omnis carnis*. At Rex Angliæ, à Deo ſpirituum *omnis carnis*, præficitur aliis: Ergò Rex Angliæ ſcit ad ſe pertinere curam ſpirituũ *omnis carnis*. Nõ ergo debet ſe continere intra ſuam Inſulam; ſed etiam ad exteros, præſertim ad Imperatorem, Reges, Principes, Batauos, dirigere monitorias præfationes, eoſque in religione inſtruere. Scit enim ad ſe pertinere curam ſpirituum *omnis carnis*, id eſt, omnium hominum. *Omnis enim caro corruperat viam ſuam* (Gen. 6.12.) Vel certè hoc modo; Qui à Deo cœli & terræ præficitur aliis, ſcit ad ſe pertinere curam cœli & terræ: Rex Angliæ à Deo cœli & terræ præficitur aliis. Ergo Rex Angliæ ſcit ad ſe pertinere curam cœli & terræ. Nimirum, *magnus Dominus & laudabilis nimis.*

3. Non vides Lancellotte, te ineptire, nec ad Scripturæ ſenſum aduertere? Ineptiam iam oſtendi. Et ſenſus verborum Moſis eſt alius, quam tu putas. Eſt autem

autem hic: Ego quidem iam morti vicinus ſum, & alius in hoc officio politico ſubrogandus mihi eſt; ſed quis potiſſimum idoneus ſit, omnino me latet. *Dominus Deus ſpirituum omnis carnis*, id eſt, cognitor & inſpector cordium & cogitationum omnium hominum, facile prouidebit virum bonum, qui ad gubernandum aptus ſit. Itaque quod dixit Moſes, *Dominus Deus ſpirituum omnis carnis:* hoc dixit Apoſtolus Hebr. 4. 12. *Diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. Et ſimiliter, quod pleno ſenſu dictum eſt à Moſe, *Dominus Deus ſpirituum omnis carnis prouideat hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc*; hoc ſimili ſententia dictum eſt à Petro, Act. 1. 24. *Tu Domine, qui noſti corda omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum.*

4. Eodem ſenſu intelligendum eſt illud, Num. 16. 22. *Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet?* id eſt, Domine Deus, qui es cognitor & inſpector omnium, tu ſcis, qui ex tanta multitudine peccauerint, & qui innocentes ſint. Punian-

tur illi, non isti. Non enim æquum est, vt vno peccante, puniantur omnes.

5. Nunc aduertis, opinor, vim argumenti tui. Est autem hæc: Dominus Deus, qui est inspector cordium & cogitationum, designat Reges & Principes: Ergo Reges & Principes habent Primatum Ecclesiæ. Itane verò? Poteras eadem facilitate sic concludere; Dominus Deus, qui est inspector cordium & cogitationum, designat Apostolos & Episcopos: Ergo Apostoli & Episcopi habent Primatum Ecclesiæ. Vel sic potius, tuo commodo; Dominus Deus, qui est inspector cordium & cogitationum, designat Episcopum Eliensem: Ergo Episcopus Eliensis habet Primatum Ecclesiæ & Reipublicæ. Quid enim obstat, quo minus Reipublicæ, quam Ecclesiæ Primatum deducas ex illo antecedente?

6 Sed facile tibi ignosco. Non solus in hoc genere peccas. Etiam Tookerus tui similis est. Sic enim, ad eundem scopum, in Duello suo ratiocinatur: *Dictum*

est

est de Tiberio, date Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Dictum est de Herode, Dicite illi vulpeculæ. Dictum est coram Pilato, Ego sum veritas. Quid infert? Nimirum, quod tu infers; Ergo Tiberius, Herodes & Pilatus habent Primatum spiritualem. Ingeniosa connexio, sed quæ in Insula fortunata, non alibi, locum habet.

7. Iam facile credam, quod alias audiui, vsitatum esse Puritanis in Anglia, abuti Scripturis ad quidlibet confirmandum. Nec opus est multis exemplis. Ex hoc vno disce reliqua. Si quæras ex Puritanis, quare Lutherus & Henricus Octauus, à raptu Virginum & generationibus exorsi sint suum Euangeliũ? Mox respondent, quia scriptum est in verbo Dei; *Initium Euangelii Iesu Christi. Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Iudam & fratres eius, omnes itaq; generationes, &c.*

De hac vestra subtilitate extat libellus, cum hac inscriptione;

Prurit--anus.

II. QVÆSTIO.

Quam antiquus ſit Primatus Regis?

1. AIs, contra Cardinalem Bellarminum, non eſſe recentem, ſed antiquiſſimum; nec originem habuiſſe ab Henrico Octauo, ſed à Moſe. Sic enim ſcribis, Pag. 22, *Sed nec recens eſt, qui tantum abeſt, vt ſit annos mille quingentos à Chriſto nato vt annos mille quingentos ante natum Chriſtum fuerit. Nec author eius Henricus Rex noſtro ſæculo, ſed Moſes ſuo: qui exuto ſacerdotio, Aaroni tamen præfuit.* Erras Lancellote. Tametſi enim verũ ſit, Primatum Eccleſiæ antiquiſſimum eſſe, & Moſen habuiſſe Primatum Eccleſiæ, tamen falſum eſt, Primatum Regis in Eccleſia, antiquiſſimum eſſe; aut Moſen, exuto ſacerdotio, tanquam Principem ſæculatem, habuiſſe Primatum Eccleſiæ, & Aaroni Pontifici præfuiſſe. Moſes nunquam exuit aut depoſuit ſacerdotium, quamdiu Aaron vixit.

2 Quod

2. Quod miror te non aduertiſſe, cùm manifeſtè conſtet ex Scriptura. Sic enim legimus, Num. 20. 25 *Locutus eſt Dominus ad Moſen: Tolle Aaron & filium eius cum eo. & duces eos in mōtem Hor. Cumque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium eius: Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moſes, vt præceperat Dominus, & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumq́; Aaronem ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſendit cum Eleazaro.*

3. Ex quibus verbis duo colliguntur. Vnum eſt, quod Aaron, depoſita veſte pontificali, mortuus ſit, viuente adhuc Moſe. Alterum, quod Moſes Eleazarum filium Aaronis induerit veſte Pontificali, & hoc ritu conſecrarit illũ in Pontificem, vt parenti ſuccederet, iuxta illud, Exodi 29. 29. *Veſtem autem ſanctam, qua vtetur Aaron, habebunt filii eius poſt eum, vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum.* Iam ſic argumentor: Moſes exercuit officium ſacerdotis vſque ad mortem Aaronis,

quia consecrauit filium eius in Pontificem: Ergo non exuit sacerdotium ante mortẽ Aaronis: Ergo falsum est, exuto sacerdotio, præfuisse Aaroni. Quid potes hic tergiuersari? An dices, non fuisse officium sacerdotis, sed Principis sæcularis, consecrare Pontificem? & Mosen, non vt sacerdotem, sed vt principẽ sæcularem, hoc officium exercuisse? Non audebis, opinor. Nimis crassus esset hic error.

III. QVÆSTIO.

An sit articulus fidei de Primatu Regis?

1. IN hoc puncto varius es. Alibi negas, alibi affirmas. Negas pag. 21. his verbis: *Neque tamen articulus ille* (de Primatu Regis) *primarius apud nos, sed ne articulus quidem: inter* ὄρθας δόξας *potius, quàm fidei articulos. Nobis enim non tam articulosa fides, quàm vestris hominibus, qui ad Theses singulas crepãt, Est de fide.*

Et

Et paulo poſt. *Satis ergo nobis, vel ſi extra fidem ſit, dum inter dogmata modo orthodoxa locum habeat.*

2. At contrarium aſſeris pag. 25. Nam ad quæſtionem Cardinalis Bellarmini (quæ erat hæc; Quomodo fides Anglorum de primatu Regis, poſſit dici Catholica, id eſt, ſemper credita, cum ante Henricum VIII. audita non ſit?) reſpõdes his verbis. *Reſpondeo, creditam eam ſemper, vel ante annum ter milleſimum.* Et infra: *Quomodo ergo Catholica non eſt, id eſt, ab initio ſemper credita?*

3. Ex vtroque loco conficio hunc ſyllogiſmum: Quidquid extra fidẽ eſt, hoc non creditur fide Catholica: at primatus Regis extra fidẽ eſt, vt ais in priori loco: Ergo primatus Regis non creditur fide Catholica, quod repugnat poſteriori loco. Vel hunc, ſi vis. Quidquid creditur fide Catholica, hoc extra fidem non eſt: Primatus Regis creditur fide Catholica: Ergo extra fidem non eſt. Elige alterum è duobus.

IV. QVÆSTIO.

Cur Rex Angliæ vsurpet sibi Primatum, non item alij Reges?

1 TV, Pag. 21. respondes his verbis; *Reliqui nolunt vti suo iure.* Ego sic potius; *Reliqui nolunt vsurpare ius alienũ.* Vter rectius? Ex mea responsione, quæ verissima est, nihil inferri potest, quod reliquis ignominiosum sit. Ex tua sequitur, reliquos Reges, præter Regem Angliæ, ignauos esse, & iuris diuini transgressores. Quod sic ostendo. Illi sunt ignaui, & iuris diuini transgressores, qui non faciunt officium, quod ipsis iure diuino commissum est: At Regibus, ex tua sententia, iure diuino cõmissum est, vt gubernent Ecclesiam in spiritualibus: Ergo, qui id non faciunt, ignaui sunt, & iuris diuini transgressores. Reliqui, præter Regem Angliæ, non faciunt: Ergo reliqui ignaui sunt, & iuris diuini transgres-

gressores. Itane sentis Lancellotte? non aliter potes, quamdiu Regi tuo adulari vis.

2. Dices forte, reliquos excusari potuisse hactenus per ignorantiã, quia nesciuerunt, deberi sibi primatum Ecclesiæ: nunc tandem à rege Angliæ edoctos esse. Sic enim videris sentire in præfatione ad lectorem, vbi summatim hęc scribis. Primo, ab eo tempore, quo Rex Angliæ scripsit de hac re, *nouam lucem exortam esse principib. & Monarchis*, vt iam tandem videre possint *sua iura*, quæ hacten⁹ ignorarunt. Secundo, Regẽ Angliæ esse *Phosphorum*, *Ducem atq; Auspicem* in hoc genere: & *eo nomine deberi illi gratiam ab alijs principibus*. Tertio, etiam exteros Principes, qui hactenus fuerunt *lenti*, iã demum *excitatos esse ad clangorem monitionis regiæ: & tanto Rege facem præferente, penitius in causam totam introspicere, & sentire ius suum*. Quarto, omnes Reges & & Principes debere *cursum consiliorum suorum dirigere ad hanc Pharum, quam Rex Angliæ in occidentis insula, longè conspicuam, erexit*.

Audi

3. Audi, Episcope. Videris pretio, vel potius Episcopatu conductus esse, vt Regi aduleris. Et mirum, si Rex non aduertat, palpum sibi obtrudi. Mirum, si alii Reges non ægrè ferant, se tanto interuallo, infra Regem Angliæ, à te collocari & abiici. Quasi hic vnus Rex sapiat; alij nisi ab hoc dirigant, desipiãt vniuersi. Quasi orbis Christianus, non aliunde, quam ab vna Occidentis Insula, consiliorum suorum directorem habere possit. Nimis crasse parasitum agis. Poteras laudare Regem: sed modestè, & citra aliorum iniuriam.

V. QVÆSTIO.

Cur Carthusiani noluerint iurare in primatum Henrici VIII?

1 HAnc questionem proponit Bellarminus cap. 1. Apologiæ, his verbis: *Si fides Anglicana* de primatu Regio *noua non est, sed antiqua, cur sancti illi martyres* (Car-

(Carthusiani) *nouitatem eius ita exhorruerunt, ut dicerent Ecclesiam Catholicam semper aliter tenuisse, & ob timorem Domini crudeli supplicio mori maluerunt, quam nouum istud dogma recipere*?

2. Tu pag. 25. respondes in hunc modum: *Quia scilicet Monachi erant. At Academiæ, at Clerus totus, ac tot eruditi sanctique Episcopi, tot in regno passim primarij viri, nullam in ea nouitatem, quam horrere, antiquitatem potius, quam venerari possent, edocti, statim agnouerunt. At hi, Monachi erant, Brunonem solum callebant, de Missa syllabatim dicenda, & de piscibus arte corrumpendis, ut auerso stomacho conciliari possent: Quid de nouitate esset, quid de antiquitate, nesciebant. Carthusiæ, talia curæ non sunt. Nam, vel si conciones illas tam crebras, tam celebres adijssent, si Academiæ vtriusque, si vtriusq; Synodi decretum legere atq; intelligere potuissent, cessasset illis horror statim omnis: vidissent, iuramentum se iurare potuisse*.

3. In qua responsione tria dicis. Primo, Carthusianos fuisse homines ignaros: qui nihil sciuerint de nouitate vel antiqui-

antiquitate dogmatum, ſed tantum de modo coquẽdi piſciculos. Videris nugari in re ſeria. Sed parũ conſideratè. Nã ſi erant ignari, cur à vobis inſtructi non ſunt? cur coacti præſtare iuramentum de re, quam ignorabant? cur extremo ſupplicio affecti? Quę iſta crudelitas eſt, innocentes Monachos, qui nihil aliud norant, quam piſciculos coquere, ſine vlla ipſorum culpa, in crucem affigere? Nimirum, ſic agitis in Anglia.

4. Secũdo dicis, eoſdem Monachos, ſi potuiſſent legere & intelligere decretum vtriuſq; ſynodi & academiæ, facile præſtituros fuiſſe iuramentũ. At cur eis decretũ illud non obtuliſtis? cur interpretati non eſtis? Cur mox ſine præuia inſtructione, miſellos & ignorantes ad ſuſpendium rapuiſtis? Quid interim reſponſurus es de Epiſcopo Roffenſi, & Thoma Moro, regni Cancellario? Illi certe non erant Monachi: non erant ignari nouitatis & antiquitatis: legerant & intellexerant decretum vtriuſq; ſynodi & academiæ. Et tamen nouitatẽ primatus horrebant, & iuramentum recuſabant.

5. Ter-

5. Tertio dicis, Academias, clerum totũ, tot eruditos ſanctoſq; Epiſcopos, tot primarios regni viros, antiquitatem primatus regii agnouiſſe, ac veneratos eſſe. Quid audio? *Clerum totum*? At non Roffenſis Epiſcopus. *Tot viros in regno primarios*? At non regni Cancellarius, princeps inter primarios. Plus dicã. Non ſeptuaginta & amplius, præſtantiſſimi viri, quorum catalogus extat apud Sanderum, & alios illius tẽporis ſcriptores. Sed obſecro, mi Lancellotte, ſi academię, totus clerus, epiſcopi, & viri primarii, agnouerũt primatum regium, à quo edocti ſunt? Nã, vt tuis verbis vtar, nondum *exorta erat lux* illa, de iure regio: nondum *erecta Pharus in Occidẽtis inſula*: nondum *Phoſphorus* ibi apparuerat: nõdum *clãgor monitionis regiæ* audiebatur: nondum Iacobus Rex *facem præferebat*. Omnia meris tenebris erant immerſa. Collige te paululum; & vide, quid dixeris.

IV. QVÆ-

IV. QVÆSTIO.

An Rex Angliæ dici poßit Defensor & Propagator Catholicæ fidei?

1 CArdinalis Bellarminus contendit, hunc titulum illi non conuenire. Primo, quia Rex Angliæ nec Catholicus est, nec fidem Catholicam propagauit. Secundo, quia titulus ille, à Leone Pontifice, datus est Henrico VIII. propter defensam fidem Pontificiam contra Lutherum. Quomodo ergo Iacobus, qui fidem Pontificiam nō defendit, sed oppugnat, eundem titulum arrogare sibi potest?

2. Tu pag. 52. ad vtrumq; respondes. Ac primum ais, Regem *calamo & Apologia sua propagasse fidem Catholicam.* Nihil minus; etiam te Iudice. Nam in Apologia, duo potissimum puncta complexus est. Alterum, de iuramento fidelitatis; alterum, de primatu Regio. Priori con-

contendit, in iuramento fidelitatis solam ciuilem obedientiam exigi à subditis: Posteriori, Reges & Principes sæculares habere Primatum Ecclesiæ. Estne hoc propagare fidem Catholicam? Si est, necessario sequitur, vtrunq; punctum esse de fide apud vos: Et, qui vtrunq; propagat, fidem Catholicam propagare. At hoc falsum. Neutrum punctum de fide apud vos est.

3. De priori sic probo: Illud non est de fide, seu, quod idem est, non potest credi fide Catholica, quod ante hos paucos annos nunquam auditum aut creditum est, cum fides Catholica sit antiquissima: sed ante hos paucos annos nunquam auditum aut creditum est, *in iuramento fidelitatis*, quod Iacobus Rex proposuit, *contineri solam obedientiam ciuilem*, cùm illud iuramentum sit planè nouum: Ergo non est de fide, nec fide Catholica credi potest, *solam obedientiam ciuilem in iuramento illo contineri*. De posteriori sic: Quod extra fidem est, non est de fide: Primatus Regius, vt supra asseruisti, extra fidem est: Ergo nõ

est de fide. Neutrum igitur de fide est. Aut, si vtrumque est, regero tibi, quod nobis paulo ante obiiciebas, apud vos esse *fidem valdè articulosam*, qui ad singula Regis dicta crepatis, *Est de fide*.

4. Secundò ais, titulum *Defensoris Catholicæ fidei*, tametsi à Pontifice, propter defensam fidem pontificiam, Henrico Octauo collatus sit, verè tamen à Iacobo vsurpari posse. Quod declaras duplici exemplo, altero Pilati; altero Caiphę Pontificis. Ais vtrumq; fuisse infidelem. Et quidem Pilatum dedisse christo hunc titulum, *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum*. Caipham verò, nescientẽ quid diceret, vaticinatum esse, *Christũ pro gente sua moriturum*. Christum, & titulum à Pilato datum acceptasse, & vaticinium Caiphæ in Euangelium referri voluisse. Similiter accidisse Iacobo Regi. Leonem Pontificem, tametsi infidelem, dedisse Henrico Octauo titulũ *Defensoris fidei Catholicæ*; & nescientem, quid diceret, vaticinatum esse, fore aliquando Regem, cui titulus ille verè cõueniret. Id nunc impletum esse. Venisse

Iaco-

Iacobum, qui nō Pontificiæ, ſed Catholicæ fidei Defenſor ac propagator ſit.

5. Sic tu, Lancellotte. Sed ludis, an ſerio agis? Si ludis, vide, quid Rex tuus dicturus ſit, quem ludibrio exponis. Si ſerio agis, quid tandem vis? An ſerio putas, Chriſtum geſsiſſe typum veſtri Regis; Caipham & Pilatum, noſtri Pontificis? Et, ſicut Caiphas verè de Chriſto, ſic Leonem verè de Rege veſtro vaticinatum eſſe? Hinc, tuo more, ſic ratiocinaberis: Chriſtus fuit caput Eccleſiæ. Chriſtus fuit typus Regis Angliæ: Ergo Rex Angliæ eſt caput Eccleſiæ. Cur non etiam ſic? Caiphas & Pilatus repræſentant Pontificem Romanum: Caiphas habuit poteſtatem Eccleſiaſticam, & Pilatus politicam: Ergo vtramque poteſtatem habet Pontifex Romanus. Vel certè ſic: Sicut Caiphas verè vaticinatus eſt de Chriſto, non qua Caiphas, ſed quâ Pontifex; ita Leo verè vaticinatus eſt de Rege Angliæ, nō quâ Leo ſed quâ Pontifex. At nemo poteſt verè vaticinari, quâ pōtifex, niſi verè ſit pōtifex; ſicut nemo pōt verè cura-

ſtrumam, quâ Rex Galliæ, niſi verè ſit Rex Galliæ: Ergo Leo fuit verè Pontifex. Non igitur, vt Angli volunt, Antichriſtus.

6. Sed fruſtra hæc diſcutio. Aliud ſpectaſti in hoc myſterio. Voluiſti Regi aſſentari; Leonem conuitio excipere. Hoc enim tibi moris eſt, immodicè laudare Regem; alios probris inſectari. De Rege ſic paſſim loqueris: *Nihil ſol aſpicit melius aut mitius noſtro Rege.* (pag. 115.) *Literarum laude, inter Principes, Princeps eſt.* (ibidem) *Reliquæ virtutes, pietatis, iuſtitiæ, prudentiæ, temperantiæ, munificentiæ, clementiæ, ita elucent in eo omnes, vt Principum nemo ſit, integer vitæ magis, nemo ad cuius exemplum mores componas, à quo melius virtutem diſcas, adeoque ſub quo libentius viuere velis.* (pagina 116.) *Tali ſub Rege, tam pio, prudenti, caſto, miti, munifico, poteſtne eſſe non fælix viuendi conditio? Quin circumfer oculos, luſtra regiones omnes, ab iis, qui luſtrarunt, quære, vbi, ſi detur optio, malint iam viuere, quàm in fortunatis his inſulis? Fortunatis autem ab Illo; nec vlla adeo re.* (Ibidem) Non ita ſen-

ſentiunt, qui in carceribus apud vos ſunt.

7. De aliis, ſic. Cardinalis Bellarminus *eſt Apoſtata ordinis, excors, mendax: multa inſcitè atque malignè vellicat: multa amarulenta, putulenta, virulenta diſpumat.* Sanderus, *mendaciſſimus, ſaculi ſui dedecus, turpis proditor, perduellis, Diaboli filius.* Polydorus, *nugator.* Pacenius, *nequiſſimus ſycophanta.* Andræas Eudemon, *portentum nominis & hominis.* Gregorius Turonicus, *fabuloſus author.* Baronius, *in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſpongiam meritus.* Gregorius, Beda, Anſelmus, Thomas, Bonauentura, *non habent ius teſtium.* Canoniſtæ, *Cardinalium paraſiti ſunt.* An deceat Epiſcopum ſic loqui, & ſcribere? Verè dictum eſt à Chriſto; *Ex abundantia cordis os loquitur.* Oportet, cor tuum abundare huiuſmodi conuitiis.

VII. QVÆSTIO.

An Rex Angliæ nulla ex parte sit inferior Pontifice?

1. HOc quidem affirmat Serenissimus Rex de seipso, in Monitoria Præfatione, his verbis; *Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse credo (pace illius dixerim.)* Sed manifestè refellitur à Bellarmino cap. 3. Apologiæ. Nec tu, licet multis paginis id agas, aut Regem tuum tueri potes, aut Bellarmini argumentis satisfacere. Hoc clare ostendam.

2. Primum Bellarmini argumentum est; Oues sunt inferiores suo Pastore: At Rex Angliæ est ouis, pertinens ad ouile Christi; Petrus autem cum suis successoribus est Pastor, cui ouile & oues commissæ sunt, iuxta illud, *Pasce oues meas:* Ergo Rex est inferior Petro & successoribus eius. Hic tu aliter elabi non potes, nisi negando, Regem Angliæ esse ouem Petri, & Pontificem esse successorem

ſorem Petri. Quod quàm abſurdum ſit, partim ſequenti, partim 10. quæſtione demonſtrandum eſt.

3. Alterum Bellarmini argumentum; Pontifex habet plura regna ſibi ſubiecta in ſpiritualibus, quàm Rex Angliæ in temporalibus. Nam ille, tanquam vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, toti orbi Chriſtiano præſidet in ſpiritualibus: Hic, in angulo Septentrionis, duas tantum Inſulas ſub ſe habet in temporalibus. Illi, tanquam Chriſti Vicario, reuerentiam & obedientiam præſtant potentiſſimi Reges, quod huic ipſi Pontifici Paulo V. per ſuos Legatos fecerunt Reges Hiſpaniæ & Galliæ, cæterique Principes Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Hoc Regi Angliæ non fit. Ergo in hac parte, Pontifice inferior eſt.

4. Hic multa otioſè garris. Duo tamen ad argumentum reſpondes. Primo, Reges & Principes, qui Paulo V. reuerentiã & obedientiam exhibuerunt, non niſi *ad pompam*, & ex *ventoſa quadam ceremonia* id feciſſe. (pag. 67.) Itane vero Lancellotte? An putas Regem Hiſpa-

Rex Angliæ ſedeat in angulo ſeptẽtrionis, & duas tantum Inſulas ſibi ſubiectas habeat; nihilominus tamen, quia Rex eſt, nulla parte, Pontifice inferiorem eſſe. Parum referre, quot regna, quot prouincias adminiſtret, modo Rex ſit. Numerum regnorum aut prouinciarum parum ad rem facere. Nam & Imperatorem Turcarum plures ſub ſe habere prouincias; quam Cæſarem; & Regem Angliæ plures, quam olim Dauidem: Nec ideo tamen, aut Cæſarem Imperatore Turcarum, aut Dauidem Rege Angliæ inferiorem cenſeri. (pag. 79. & 80.)

6. Hic planè pugnas contra communem hominum ſenſum. Nam ſi fieret hæc comparatio, vter potentior ſit, Rex Hiſpaniarum Philippus, an Rex Angliæ Iacobus? An non omnes, qui rem intelligunt, Philippum potentiorem eſſe dicerent? Et, ſi potentiorem, an non aliqua parte, id eſt, potẽtiá ſuperiorem? Nihil certius. Ergo, ſi & hæc fiat comparatio, vter plures ac potentiores ſubditos habeat, Pontifex, an Rex Angliæ?

An non ſimiliter dicēt, Pontificem plures ac potentiores habere, quam Regē? an non, hac parte, Regem inferiorē eſſe? Miror, ſi tergiuerſari hic pergas.

7. Tertium Bellarmini argumentū; Rex Angliæ non debet ſe pluris facere in hac cauſa, quam ſuos prædeceſſores, qui & ipſi Reges Angliæ fuerunt. At hi ingenuè faſſi ſunt, ſe Pontifice inferiores eſſe; & Pontificem, tanquam Paſtorem ſuum, & Chriſti in terris Vicarium venerati ſunt. Ergo idem deberet facere Iacobus Rex. Minorem probat variis exemplis. Ego tria adducam. Edouardus Rex in Epiſtola ad Nicolaū II. Pontificem, circa annum Chriſti 1060. ita ſcribit; *Summo uniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Edouardus, gratia Dei, Anglorum Rex, debitam ſubiectionem & obedientiam.* Et Henricus II. in Epiſtola ad Alexandrum III. *Veſtræ magnitudini promitto me veſtri diſpoſitioni in omnib. pariturum.* Item; *Deus extulit vos in eminentiam officij Paſtoralis.* Et Leonora Regina in Epiſtolis ad Cæleſtinum Papam, vocat eum principem Sacerdotum, Vicarium

carium Christi, successorem Petri, orbis Episcopum. Et inter alia sic addit; *Non Rex, non Imperator, à iugo vestræ iurisdictionis eximitur.* Et rursum; *Gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica sedes Imperatoriæ præiudicat potestati.* Extãt hæ Epistolæ apud Petrum Blesensem Secretarium, Epistola 136. 144. 145. 146. Hinc satis apparet, quid olim senserint Reges Angliæ de Pontifice; & quam diuersum ab iis sentiat Serenissimus Iacobus, qui nunc Rex est. Illi non scripserunt, quod Iacobus nunc scribit, *se nulla ex parte, Pontifice inferiores esse*; sed ingenuè suam subiectionem professi sunt.

8. Quid tu verò Lancellotte? Nimirum his pauculis verbis rem totam expedis; *Tunc erat hora vestra, & potestas tenebrarũ* (pag. octuagesima prima) sed non vides, responsum hoc regeri in vos posse? Certè, cum vos magno fastu ac plausu numeratis aliquot Reges, qui Pontifici, qui Episcopis, qui omni Clero restiterunt, & inde primatum Ecclesiæ Regium confirmare vultis; an

an non optimè dici in vos poteſt, quod tu nobis falſo obiicis, *Tunc erat hora veſtra, & poteſtas tenebrarum?* Omnino aptiſſimè. Etiam hoc tempore. Nunc enim in Anglia, *hora veſtra eſt, & poteſtas tenebrarum.* Nunc ſacerdotes Chriſti, propter fidem & religionem, ſupplicio addicuntur: Nunc Nobiles, Barones, Comites, eadem ex cauſa, in carceres compinguntur: Nunc opulentiſſimi quique, quia Catholici ſunt, bonis omnibus indigniſſimè ſpoliantur. Vno verbo, nunc fit, quod Pilati tempore factum eſt. Chriſtus capitur; Apoſtoli fugiunt; Diſcipuli latent: Prædicantes & Pſeudoepiſcopi rem gerunt. Illorum flabellis & clamoribus, perſecutionis flamma accenditur. Nec Herodes & Pilatus tam improbi, quam veſtri Miniſtri ſunt.

VIII. QVÆ-

VIII. QVÆSTIO

An Rex Angliæ sit ouis Petri?

1 IAM ante dixi, te id negare, ne cogaris admittere, Regem vestrum, aliqua ex parte, Petro & eius successore Pontifice, inferiorem esse. Negas autẽ pag. 74. his verbis; *Rex ouis certè; verum non Petri tamen, sed Christi, quem Pastorem suum, quo se inferiorem agnoscit. Nec, si Petro id dictum, Pasce, Petri se tamen ouem agnoscet. Nec enim Petro dictum, Pasce oues tuas, sed, Pasce oues meas. Ouis ergo, sed Christi; & Pastorem habet, sed Christum, quem agnoscit, cui se submittit lubens.*

2. Omnino absurdè. Quasi verò pugnent hæc duo inter se, esse ouem Christi, &, esse ouem Petri. Optimè cohærent. Quod ex Euangelio constat, vbi Christus distinguit inter Pastorem & mercenarium. Pastorem vocat, cuius oues propriæ sunt: mercenarium, cuius pro-

propriæ non ſunt. Sic enim loquitur Ioan. 10. 2. *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: Huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum propias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequũtur, quia ſciunt vocẽ eius.* Et infra verſ. 11. *Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.*

3. Iam quæro ex te Lancellotte, an Petrus fuerit Paſtor, an mercenarius? Non vtiq; mercenarius. Sic enim loquitur Auguſt. tract. 64. in Ioan. *Quid dictũ eſt de mercenario? Cum viderit lupum venientem fugit, quia non ſunt oues propriæ. Nunquid talis erat Apoſtolus Petrus? Abſit.* Petrus igitur, non mercenarius, ſed paſtor: nec alienas habuit oues, ſed proprias: An ideo deſinebãt eſſe oues Chriſti? Nequaquam. Erant & Chriſti oues: erant & Petri oues. Erat Chriſtus earum paſtor: erat & Petrus. Sed vos in Anglia non capitis hoc myſterium. Epiſcopi veſtri, inter quos tu es, non paſtores,

ſtores, ſed mercenarii ſunt. Non habent proprias oues, ſed alienas. Non intrant per oſtium in ouile, ſed aliunde aſcendunt. Non veniunt, vt paſcant, ſed vt mactent & perdant.

4. Planius tecum agam. Ais te Epiſcopum eſſe apud Elienſes. Vel ergo paſtor, vel mercenarius apud illos es. Si mercenarius, *fur & latro* es. (Verba Chriſti ſunt.) Si paſtor; oues propriæ tibi ſunt; ſi propriæ, vocem tuam audiũt. At nec propriæ ſunt, nec vocem tuam audiunt. Non igitur paſtor es. Minorem probo, quia vox tua hæc eſt: *Audite Elienſes: Ego paſtor veſter; vos oues meæ eſtis.* At illi contra: *Nos oues Chriſti ſumus, non Lancellotti. Chriſtus Lancellotto non dixit, Paſce oues tuas, ſed paſce oues meas. Et Rex noſter, vt tu ipſe fateris, non Petri aut Lancellotti, ſed Chriſti ouis eſt.* Vides, vt vocẽ tuam non audiant? Et tu ſic eos docuiſti. Aut reuoca doctrinam, aut paſtor non es.

IX. QVÆ-

IX. QVÆSTIO.

An regnum Angliæ sit feudum Pontificis.

1 AFfirmat Cardinalis Bellarminus cap. 3. Apoglogiæ: & probat tribus testimoniis. Primo, Henrici II. Regis, qui in Epistola ad Alexandrum III. Pontificem, sic scribit; *Vestræ iurisdictionis est Angliæ regnũ; & quantũ ad feudatarij iuris obligationẽ, vobis dũtaxat obnoxius teneor & astringor.* Secundo, testimonio Ioannis Regis, qui regnum Angliæ & & Hyberniæ resignauit Innocentio III. Pontifici, & eius successoribus, vt testatur Matthæus Paris in historia Anglicana. Tertio, testimonio Polydori Virgilii, qui lib. 4 historiæ Anglicanæ refert, Inam Regem fuisse primum, qui regnũ Angliæ summo Pontifici tributarium fecerit, circa annum Christi 740. Postea alios Reges, præsertim Offam & Atulphum, idem confirmasse. Hinc rectè colligit

colligit Bellarminus, Regem Angliæ, etiam ex hac parte, Pontifice inferiorem esse.

2. Tu ad hæc tria testimonia tam frigidè respondes, vt facilè appareat, nihil solidè responderi potuisse. Ad primum dicis, Henricum Regem non habere *ius testium*. Causam addis, quia *à Pontifice plagas perpessus erat in nuda carne*. Voluit igitur Pontificem *delinire*; ideoq; scripsit illi hæc verba, speciosè magis, quàm verè, *Vestræ iurisdictionis est regnum Angliæ*. Ad secundum, Ioannem Regem, Henrici filium, *vi & metu* fecisse, quod fecit; nec iure potuisse regnum Angliæ dare Pontifici; *& à Proceribus, Clero, Vniuersitate, & exteris Principibus fuisse reclamatum*. Ad tertium, Polydorum esse *hominem nouitium, Italum, nugatorem, & loqui sine authore*; ideoque credendum illi non esse. Deinde, tributum illud, quod Polydorus scribit à Regibus Angliæ datum fuisse Pontifici, non aliud fuisse, quàm *stipem & eleemosynam*. Hæc tu, pag. 81, 82. & 83. Singula discutiamus.

Examinatur 1. testimonium Henrici Regis.

3 Ais ergo Henricum Regem, non habere *ius testium quia voluit delinire Pōtificem, à quo plagas in nuda carne erat perpessus*. Falsum est. Nihil à Pontifice, sed ab Episcopis Angliæ passus est: nec coactè, sed sponte; nec conscio, sed ignorāte Pontifice. Historia sic habet. Henricus offensus erat Thomæ Episcopo Cātuariensi, viro optimo & doctissimo. Igitur satellites Henrici, quia putabant se gratum Regi facturos, Thomam occiderunt. Henricus, re intellecta, pœnitentia ductus est, & in pœnam peccati, sponte ab Episcopis Angliæ puniri voluit, quod & factum est.

4. Hanc historiam describit Matthæus Paris in vita Henrici II circa annum Christi 1174. vbi post cædem & sepulturā supradicti Episcopi comemoratam sic pergit; *Rex in pane ieiunans & aqua, ab ingressu ciuitatum abstinuit, quousq; vota orationum persolueret B. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, ac martyri glorioso*

Cùm

Cum autem Cantuariæ appropinquasset, equo desiliens, & Regiam Maiestatem prorsus deponens, nudus pedes, faciem peregrinantis, pœnitentis & supplicantis assumens, tertio idus Iunii, feria sexta, ad Ecclesiam maiorem peruenit, & cum gemitibus & suspiriis alter Ezechias, petiit sepulchrum martyris gloriosi. Vbi toto corpore prostratus, manibusq; in cælum expansis, diutius in oratione permansit. Interim per os Episcopi Londinensis, sermonem ad populum habentis, Rex Deum & martyrem beatum in animam suam inuocans, publicè protestatus est, quod mortem martyris nec mandauit, nec voluit, nec suo artificio perquisiuit. Sed quoniam interfectores martyris gloriosi, ex verbis eius non satis circunspectè prolatis, occasionem sumpserant Archiepiscopum perimendi, ab Episcopis, qui tunc præsentes erant, absolutionem petiit, carnemq; suam nudam disciplinæ virgarum supponens, à singulis viris religiosis, quorum multitudo magna conuenerat, ictus ternos vel quinos accepit. Vestibus igitur resumptis, muneribus pretiosis martyrem honorauit, assignans insuper annui census quadraginta libras, ad

luminaria circa sepulchrum martyris continuanda, reliquumq; diei ac noctis sequentis, in amaritudine mentis transegit, &c. Hactenus Matthæus Paris, natione Anglus.

5. Hinc manifestè apparet mendacium tuum, quod ad inuidiam Pontifici conflandam à te confictum est. Non enim Henricus Rex, vt tu comminisceris, à Pontifice plagas accepit, sed eas sponte ab Anglis infligi sibi voluit. Hoc autem mendacium est fundamentum tuæ responsionis. Nam ex eo deducis, Henricum voluisse placare & delinire pontificem, à quo plagas acceperat, ideoq; non potuisse esse legitimum testem. Sic enim ratiocinaris; Ille non potest esse legitimus testis, qui quod dicit, non aliam ob causam dicit, quàm vt possit eum, à quo plagas accepit, delinire: At Rex Henricus, cùm dixit regnũ suum esse feudum Pontificis, non aliam ob causam hoc dixit, quàm vt possit Pontificem, à quo plagas acceperat, delinire: Ergo non potest esse legitimus testis. In hoc tuo discursu, minor & falsa,

ſa,& calumnioſa eſt. Falſa, quia Henricus non accepit plagas à Pontifice. Calumnioſa, quia arguit Regem mendacii. Nam ſi Rex non ob aliam cauſam dixit, regnum Angliæ eſſe feudum Pontificis, niſi vt deliniret Pontificem, à quo plagas acceperat, iam non verè, ſed falſo dixiſſe neceſſe eſt. Hoc abſit à Rege. Alia fuit cauſa, cur id diceret; & verè diceret. Nimirum, vt peteret ſubſidium à Pontifice pro defenſione regni. Nam tunc temporis erat facta conſpiratio inter filios Regis, & alios quoſdam rebelles, qui volebant Henricum regno exuere, & illius ſolium ac ſceptrum ſibi vſurpare. Igitur ipſe in hac neceſſitate conſtitutus, non voluit ab aliis Regibus & Principibus exteris, ſed à Pontifice implorare opem, eo quod ipſum agnoſceret ſupremum Dominum illius regni, ad quem proinde ius defenſionis ac protectionis propriè pertineret. Hoc manifeſtè conſtat ex epiſtola Regis, quam ad Pontificem dedit. Sic enim inter cætera ſcribit; *Longè lateq; diuulgata eſt filiorum meorum malitia, quos ita in*

 exitium

exitium Patris, ſpiritus iniquitatis armauit, vt gloriam reputent & triumphum, Patrem perſequi, & filiales affectus in omnibus diffiteri. Et paulo poſt; *Domeſtici mei quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicauit clandeſtina coniuratio, vt obſeruantiæ proditoriæ conſpirationis vniuerſa poſthabeant. Malunt namq; meis adhærere filiis contra me, transfugæ & mendici, quàm regnare mecum, & in ampliſsimis dignitatibus præfulgere. Quoniam ergo vos extulit Deus in eminentiam officii Paſtoralis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, licet abſens corpore, præſens tamen animo me veſtris aduolus genibus, conſilium ſalutare depoſcens. Veſtræ iurisdictionis eſt regnum Angliæ, & quantum ad feudatarii iuris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor & obſtringor. Experiatur Anglia, quid poſſit Romanus Pontifex, &c.*

6. Iam puto ſatis refutatum eſſe mendacium tuum. Et vlterius ſic te vrgeo; Vel vera, vel falſa ſunt, quæ Henricus hic ſcribit. Si vera, cur negas illi ius teſtium? Si falſa, mendacem affirmas.

mas. Et quo teſte, mendacem eſſe confirmabis? An te ſolo? At nec tibi credimus, qui nulli credis: Nec ius teſtium tibi concedimus, qui Regi non concedis. An præter te, alii ſunt? At neminem adducis. Ego, ſi opus eſt, plures in contrarium adducam, præſertim Matthæum Paris, Petrum Bleſenſem, Baronium, alios.

Examinatur 2. teſtimonium Joannis Regis.

7. Ais Ioannem Regem *vi & metu* feciſſe, quod fecit; nec potuiſſe regnũ Angliæ dare Pontifici; & *à Proceribus, Clero, Vniuerſitate, & exteris Regibus fuiſſe reclamatum.* Hæc omnia falſa ſunt, vt patet ex Matthæo Paris, qui in hiſtoria Anglicana refert rem geſtam hoc modo; *Conuenerunt iterum Rex Anglorum* Ioannes, *& Pandulphus cum Proceribus regni, apud domum militũ Templi, iuxta Douerã, 15. die Maij, in Vigilia Dominicæ Aſcẽſionis, vbi idẽ Rex reſignauit coronã*

suam cum regnis Angliæ & Hyberniæ, in manus Domini Papæ cuius tunc vices gerebat Pandulphus memoratus. Facta autē resignatione, dedit Papæ & eius successoribus regna prædicta, quæ & charta subscripta cōfirmauit. Ioannes Dei gratia, Rex Angliæ, omnibus Christi fidelibus hanc chartam inspecturis, salutem in Domino. Vniuersitati vestræ per hanc chartam sigillo nostro munitam, volumus esse notum, quod cùm Deum & matrem nostram sanctam Ecclesiā offenderimus in multis, & proinde diuina misericordia plurimùm indigeamus, nec quid dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nosmetipsos humiliemus, & regna nostra, volentes nosipsos humiliare, pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsq; ad mortem, gratia sancti Spiritus inspirante, non vi interdicti, nec timore coacti, sed nostra bona spōtaneaq; voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum conferimus, & liberè concedimus Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac Domino Papæ Innocētio, eiusq; catholicis successoribus, totū regnum Angliæ, & totum regnū Hyberniæ,

cum

cũ omni iure & pertinẽtijs suis, pro remissione omnium peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro viuis, quam pro defunctis: Et amodo illa ab eo & Ecclesia Romana, tanquam secundarius, recipientes & tenentes, in præsentia prudentis viri Pandulphi, domini Papæ Subdiaconi & familiaris. Exinde prædicto domino Papæ Innocentio, eiusque Catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ, secundum subscriptam formam fecimus & iurauimus homagium in præsentia Pandulphi: si coram Domino Papa esse poterimus, eidem faciemus: successores nostros & hæredes de vxore nostra in perpetuum obligantes, vt simili modo summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ, sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere. Ad inditium autem huius nostræ perpetuæ obligationis & concessionis, volum⁹ & stabilimus, vt de ꝓprijs & specialibus reditibus nostris prædictorum regnorum, pro omni seruitio & consuetudine quæ pro ipsis facere debemus, saluis per omnia denarijs beati Petri, Ecclesia Romana mille marcas Esterlingorum percipiat annuatim:

in festo scilicet S. Michaelis quingẽtas marcas, & in Pascha quingentas: Septingentas scilicet pro regno Angliæ, & trecẽtas pro regno Hyberniæ, saluis nobis & hæredib. nostris, iustitijs, libertatibus, & regalib. nostris: Quæ omnia rata esse volentes atq; firma, obligamus nos & successores nostros contra nõ venire: Et, si nos, vel aliquis successorũ nostrorum contra hæc attẽtare præsumpserit, quicunq; ille fuerit, nisi ritè commonitus resipuerit, cadat à iure regni. Et hæc charta obligationis & cõcessionis nostræ semper firma permaneat: Teste meipso, apud domum militum templi iuxta Doueram, coram H: Dublinensi Archiepisc. Ioan. Noruicẽsi Episcopo, Galfrido filio Petri VV. Comite Saresberiæ, VVilielmo Comite Penbroc. R. Comite Bononiæ. VV. Comite VVarenne, Petro filio Hereberti, VVarino filio Geroldi, 15. die Maij, anno regni nostri decimo quarto.

8. Hæc refert Matthæus Paris in historia Anglicana, vt dixi. Ex quibus constat primo, Ioannem Regem non vi aut metu, vt tu fingis, sed sponte resignasse regnum Angliæ & Hyberniæ.

vt indicant hæc ipſius verba; *Non vi, nec timore coacti, ſed noſtra bona ſpontaneaque voluntate.* Secundo, nec Proceres regni reclamaſſe, ſed approbaſſe, vt patet ex illis verbis; *Communi conſilio Baronum noſtrorum conferimus & liberè concedimus Papæ Innocentio, eiuſque Catholicis ſucceſſoribus, totum regnum Angliæ & Hyberniæ.* Tertio, nec clerum reclamaſſe, vt indicant illa verba; *Teſte meipſo, coram H. Dublinenſi Archiepiſcopo, & Ioanne Noruicenſi Epiſcopo.* Porro, quod nec exteri principes reclamaueint, ex eo perſpicuum eſt, quod ex nullo hiſtorico id colligi poſſit. Scribit quidem Matthæus Paris, Regem Galliæ indignè tuliſſe hanc reſignationem, ſed aliam ob cauſam id factũ eſt. Nam Rex ille, ad petitionem Pontificis, magno ſumptu inſtruxerat exercitum, quo Angliam pro eodem Pontifice inuaderet, & Ioan. Regẽ, qui adhuc rebellis erat, coerceret. Igitur cũ poſtea intelligeret, inter Pontificem & Ioannẽ, per reſignationem regni, pacem confectam eſſe, ægrè tulit, ſe tantos ſumptus

in

in apparando exercitu, frustra fecisse. Verba Matthæi sunt hæc; *His ita gestis, Pandulphus transfretauit ad Gallias, & Regem Francorum diligenter admonere cœpit, qui iam paratus erat in manu violenta ad Angliam hostiliter transfretare, vt desisteret à proposito, & ad propria pacificè remearet. Hæc audiēs Rex Francorum, iratus valdè dixit, se iam in apparatu nauium, victualium & armorum plusquam sexaginta millia librarum expendisse, & ex præcepto domini Papæ laborem præfatum, in peccatorum remissionem suscepisse, &c.*

9. Nec est, quod suspectum habeas Matthæum Paris. Nam is & Anglus fuit, & Londini historia ipsius edita est, & & alii scriptores illi astipulantur. Nam vt multos prætercam, Thomas Walsingham in hypodigmate Neustriæ, de eadem resignatione sic scribit; *Ioannes Rex Angliæ, cupiens contra hostes, tam domesticos, quam extraneos, Ecclesiastica protectione muniri, procurante Pandulpho Apostolicæ sedis Legato, totum regnum suum Angliæ & hyberniæ Deo & beato Petro Apostolo, eiusque Vicario Catholico Innocentio*

Papæ

Papæ III. successoribusque suis Catholicis, in remissionem peccatorum suorum totiusque generis sui in mille marcis. scilicet pro Anglia 700. & pro hybernia 300. constituit censuale, vt patet in charta super his confecta & sisigillo regio consignata. Vide Anglica, Normãnica, Hybernica, Cambrica, à Guilielmo Camdeno in vnum tomum collecta, & Francofurti nuper edita.

Examinatur 3. testimonium Polydori Virgilij.

10. Ais Polydorum Virgilium esse hominem *nouitium, Italum, nugatorem, & loqui sine authore*; Ideoque credendum illi non esse. Deinde, tributum illud, quod Polydorus scribit, à Regibus Angliæ datum fuisse Pontifici, non aliud fuisse, quam *stipem & eleemosynam.* Audi Lancellotte. Si hæc respondendi ratio, quã tu hic sequeris, semel admittatur, nihil deinceps per testes probari poterit. Nam si vel mille adduxeris, in promptu erit dicere, quod tu dicis; *Nouitij*

uitij sunt, Itali sunt, nugatores sunt, ius testium non habent. Vel sic potius, ad tuum stomachũ; *Parasiti sunt, Angli sunt, Pseudoepiscopi sunt, ius testium non habent.*

11. Quod addis Polydorum sine authore loqui, falsum est. Sic enim loquitur; *Ina regnum suũ Romano Pontifici vectigale fecit, singulis argenteis nũmis, quos denarios vocãt, in singulas domos impositis.* At hoc, multi ante ipsum locuti sunt. Quod tu ipse fateris pag. 84. his verbis; *Nec primus tamen Polydorus; & qui ante eum, scripserunt hoc alij.* Si alii ante Polydorum, quomodo Polydorus sine authore? Oportet mendacem sui memorem esse.

12. Ex dictis concludo, Bellarminũ tribus testibus legitime probasse, regnũ Angliæ esse feudum Pontificis. Te vero, qui respuis illos testes, non nisi mendaciis tueri te posse. Hæc autem esse tua mendacia. Primũ, quod Henricus Rex à Pontifice plagas in carne passus sit. Secundum, quod eam ob causam voluerit Pontificẽ delinire, ideoq; scripserit, regnum Angliꝫ, subiectum illi esse. Tertiũ, quod

quod Ioannes Rex vi & metu fecerit, quod fecit. Quartũ, quod à Proceribus, Clero & Vniuersitate reclamatum sit. Quintum, quod Polydorus sine authore sit locutus.

13. Vnum video obiici à te posse, nimirum, quod boni autores scribant, reuera reclamatũ fuisse à Baronibus. Sed facilis responsio est. Non est reclamatũ eo ipso tempore, quo resignatio regni à Ioanne facta est. Tũc enim Barones cõsenserunt, vt supra ostẽdi ex illis verbis; *Communi consilio Baronum nostrorum conferimus, & liberè concedimus Papæ Innocẽtio, eiusq; Catholicis successoribus, totum regnum Angliæ & Hyberniæ.* Postea tamen à quibusdam reclamatum esse, cum resignatio iam legitimè peracta esset, non nego. Et hoc scribit Matthæus Paris in historia Anglicana. At hæc reclamatio non obstat resignationi semel factæ: nõ magis, quam si celebrato legitimè contractu, postea velis reclamare, cum integrum non est.

X. QVÆ-

X. QVÆSTIO.

An Ecclesia habeat aliquod ius in excommunicatos?

AFfirmat Cardinalis Bellarminus, quia Ecclesia potest eos, qui excõmunicati sunt, vlterius punire, si non resipiscant; & hoc modo ad saniorẽ mentem compellere. Quod supra, cap. 3. quæst. 2. ex Concilio Lateranensi ostensum est. Tu contrarium asseris, & probas hac ratione: Ecclesia nullum habet ius in eos, qui sunt foris, iuxta illud 1. Corinth. 5. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* At excommunicati sunt foris: Ergo Ecclesia non habet ius in excommunicatos: Ergo non potest eos vlterius punire, aut ad reditum compellere, sed diuino iudicio relinquendi sunt.

2. Ineptè: & planè contra mentem

Apo-

Apoſtoli. Sic enim loquitur Apoſtolus citato capite; *Scripſi vobis in epiſtola ne commiſceamini fornicariis: non vtique fornicaris huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax. cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos iudicatis?*

3. Vbi diſtinguit duplices peccatores: alios gentiles, qui foris ſunt; alios Chriſtianos, qui intus ſunt. Priores vocat, *fornicarios aut auaros huius mundi:* poſteriores, *fratres*. Igitur de gentilibus, qui foris ſunt, non iudicat Eccleſia: de Chriſtianis, qui intus ſunt, omnino iudicat, etiamſi excommunicati ſint. Talis erat Corinthius inceſtuoſus, qui tametſi excommunicatus eſſet, ſubdebatur tamen iudicio Eccleſiæ: nec erat foris eo ſenſu, quo gentiles ſunt, ſed intus.

4. Pro quo notandum eſt, duobus modis poſſe aliquem eſſe foris, id eſt, extra Eccleſiam. Primo, quia nunquam per baptiſmum aut fidem fuit in Eccleſia. Hoc modo gentiles ſunt foris. Secundo, quia licet per fidem & baptiſmum ſit in Eccleſia, tamen propter contumaciam, ad tempus ſeparatur à communione Eccleſiæ. Hoc modo excommunicati ſunt foris. Nec ideo tamen exempti ſunt à poteſtate & iuriſdictione Eccleſiæ. Nam ſicut Paſtor retinet ius in oues errantes extra gregem; & Imperator in deſertores militiæ, qui ad hoſtem transfugerunt; & Princeps in ſubditos, quos certis priuilegiis ſpoliauit: ita Prælatus Eccleſiæ in Chriſtianos, qui bonis Eccleſiæ, ad tempus, priuati ſunt.

XI. QVÆ-

XI. QVÆSTIO.

An fuerit aliquis successor Petri?

1. NEmo hactenus dubitauit. Tu, quia soluere argumentum Bellarmini non potes, quo te premit, nunc primum post tot sæcula negare ausus es. Et Rex Angliæ tecum, si tibi credimus. Sic enim de illo scribis, pag. 74. *Successorem Petri vllum, vel in Apostolatu, vel in Apostolica potestate, non credit: Romanum Episcopum, neutro modo successorem.*

2. Quid ais Lancellotte? Rex vester non credit vllum Petri successorem? Nec tu credis? At Augustinus, at alii Patres, at orbis Christianus credit. An vos duo plus sapitis, quàm hi omnes? Certè August. epist. 165 ad Generosum, sic scribit; *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quãto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus,*

cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait; Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander. Hunc ordinem successorum Petri pertexit vsq; ad sua tempora.

3. Similiter Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum; *Negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primam cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus.* Et post pauca; *Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, cum quo totus orbis in vna communionis societate concordat.*

4. Et D. Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam; *Cum successore Piscatoris loquor. Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est.* Et epist. 8. ad Demetria-

metriadem; *Illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, vt Sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ successor est, teneas fidem.*

5. Et Philippus presbyter in Concilio Ephesino, tomo 2. cap. 16. *Diui Petri ordinarius successor, & Vicarius sanctus, beatissimusq; Papa Cælestinus, nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc synodum misit.*

6. Et D. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papam, cap. 8. *Age, indagemus adhuc diligentius, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus.* Et Epist. 190. ad Innocentium Papam; *In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem.* Et rursum Epist. 237. ad Eugenium; *Altiorem locum sortitus es. Locus, in quo stas,*

locus Petri est, locus Principis Apostolorum.

7. Hi pauci sufficiant. Nam cùm alii habeant similia, non opus est singulorum verba recensere. Porro, ex his paucis constat, non vnum, sed plures fuisse Petri successores. Nec modo successores, sed in *prima & Apostolica cathedra ac potestate* successores. Sic enim loquuntur Patres citati. Nec aduersarii nostri id negant. Disertè fatentur Romanos Pontifices, qui primis quadringentis annis vixerunt, successisse Petro in regimine Ecclesiæ. Nec de eo nobiscum litigant. At tu, nec Pontificem Romanum, nec quenquam alium agnoscis, qui Petro in Apostolica cathedra vel potestate successerit. Nouum commentum hoc est.

XII. QVÆSTIO.

Quam antiqui ſint Cardinales?

1. BEllarminus capit. 4. Apologiæ, contra Regem Angliæ aſſerit, *Cardinalatum non eſſe nouam Paparum inſtitutionem.* Quod ſic oſtendit. Cardinales duobus modis conſiderari poſſunt. Primo, quatenus ſunt Epiſcopi, presbyteri aut Diaconi. Secundo, quatenus ſunt Electores & Conſiliarii Pontificis. Priori modo, dicit à Chriſto inſtitutos eſſe, & ab initio Eccleſiæ huc vſq; ſemper fuiſſe. Itaq; tam antiquos eſſe, quàm antiqua Eccleſia eſt. Poſteriori, ſi præciſe officium ſpectemus, ab initio Eccleſiæ fuiſſe; ſi paucitatem & eminentiam, à quingentis vel ſexcentis annis. Semper enim ab initio Eccleſiæ fuiſſe Epiſcopos, presbyteros & diaconos, qui Pontificem eligerent, & à conſiliis illi eſſent: poſtea tamen ex omnibus certos fuiſſe deputatos, qui hoc officio fungerentur.

2. Hæc ſolidè à Bellarmino dicta

ſunt. Tu, quia ſolidè refutare non potes, riſu & ſcomate eludis omnia. Et quidem circa priorem conſideratione͂, ſic nugaris. Primo, Si Cardinales conſiderentur, vt presbyteri & Diaconi, multo antiquiores ſunt, quam Eccleſia Chriſti, quia à Deo in veteri lege inſtituti ſunt: *Diaconi in Leuitis; presbyteri in Sacerdotibus. Itaque tam antiqui ſunt, quàm antiqua ipſa Synagoga eſt.* Secundo, ſi conſiderentur, vt homines, *à Deo plaſmati ſunt in Adamo, & ab orbe condito ad noſtra tempora perdurarunt. Itaque tam antiqui ſunt, quàm antiquus eſt orbis ipſe.* Tertio, ſi conſiderentur, vt terra, *ad primum geneſios caput reducendi ſunt, vbi Deus in principio creauit terram.* Quarto, ſi conſideretur rubeus eorum galerus, tam antiqui ſunt, quam terra rubicunda, ex qua Adam formatus eſt. Denique, Anna Samuelis mater de Cardinalibus prophetauit, illis verbis, 1. Reg. 2. 8. *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.*

3 Sic

3. Sic tu, Lancellotte. Sed nec ſerio, nec ad rem. Quid ſi ſimili ioco diſcutiã, quam antiqui ſint Pſeudoepiſcopi Anglicani. Potero ſanè, ſi tuis veſtigiis inſiſtam, ſic progredi. Si ſpectentur, vt vxorati, poſt inceſtas Lutheri nuptias inſtituti ſunt. Si, vt Pſeudoepiſcopi, poſt Crameri mortem: Si, vt paraſiti, Sacellano coætanei ſunt: Si vt calumniatores & mendaces, ab eo originem habent, de quo Chriſtus in Euangelio. *Diabolus mẽdax eſt, & pater eius.*

4. Sed malles forte de ſolo Elienſi audire ſimilem iocum. Audi igitur. De Eliẽſi prophetauit Martialis in quodam Epigrammate, his verbis;

Si memini, fuerant tibi quatuor, Elia, dentes:
Exſpuit vna duos tuſſis, & vna duos.
Iam ſecura potes totis tuſſire diebus;
Nil iſtic, quod agat, tertia tuſſis habet.

Iſtam Eliam, auiam ſuam, imitatur Elienſis. Hoc intereſt, quod illa tuſſiendo, hic conuitiando, ſuos dentes amiſerit.

5. Vis aliquid ſerium? Accipe. De eodem Elienſi prophetauit Dominus

per Samuelem, 1. Regum 3. 11. *Dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum eius: incipiam, & complebo.* Et quæ ſequuntur. Tu vide, quorſum hæc ſpectent.

XIII. QVÆSTIO.

An Epiſcopus ex inſtitutione Chriſti, ſit maior Preſbytero.

1 HOc tu rectè quidem affirmas cum Catholicis (pag. 106.) ſed ſectæ, quam profiteris, parum cõſentaneè. Secta, Caluinianus es. At Caluiniſtæ negãt Epiſcopum preſbytero maiorẽ eſſe ex Chriſti inſtitutione. Solo humano conſenſu maiorem eſſe contendũt, vt patet ex Caluino lib. 4. inſt. c. 4. §, 2. vbi ſic ait; *Quibus docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabãt presbyteros, Illi ex ſuo numero in ſingulis ciuitatib. vnum eligebant, cui*

cui ſpecialiter dabant titulum Epiſcopi, ne ex æqualitate, vt fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neq; tamen ſic honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, vt dominium in Collegas haberet, ſed quas partes habet Conſul in ſenatu vt referat de negotijs consulendo, monendo, hortando, alijs præeat, authoritate ſua totā actionē regat, & quod decretū communi cōſilio fuerit, exequatur. Id muneris ſuſtinebat in presbyterorū cœtu; atq; idipſum, pro temporum neceſſitate, fuiſſe humano conſenſu inductum, fatentur ipſi veteres. Nota, humano conſenſu, non Chriſti inſtitutione.

2. Porro, quid Sereniſſimus Rex veſter ſentiat de hac quæſt. nō ſatis video. Tāetſi enim in monitoria præfatione diſertè agat de Epiſcopis, non tamen diſertè definit, an ex Chriſti inſtitutione maiores ſint preſbyteris, nec ne. Videtur quidem id affirmare, cum ait; *Epiſcopos eſſe in Eccleſia debere, tanquā inſtitutionem Apoſtolicam, ac ordinationem proinde diuinā, contra Puritanos ſemper ſenſi.* At paulo poſt, videtur contrarium aſſerere, cum addit, ſe *politici duntaxat ordinis cauſâ,*

in Episcoporum & Ecclesiasticæ Hierarchiæ defensionem semper incubuisse. Ex quibus verbis sic concludi potest; Si Rex non alia de causa defendit Episcopos & Hierarchiam Ecclesiasticam cōtra Puritanos, quam vt politicus ordo seruetur in Ecclesia; iam non putat Episcopos diuinâ, sed politicâ tantum institutione, maiores esse presbyteris in Ecclesiastica Hierarchia; alioqui debebat dixisse, se illos defendere, non tantum vt politicus ordo, sed vel maximè, vt diuina institutio in Ecclesia conseruetur.

3. Iam, quod dixi, te sectâ Caluinianum esse, non negabis, si dogmata tua non negas, quæ Caluiniana sunt. Doces, Sanctos nō esse inuocandos; Missam abolendā. Nullum esse purgatoriū, quale Catholici agnoscunt, non orandum pro defunctis; peccata non tolli, sed tegi. Hæc Caluinistarum dogmata sunt. Sed quia illis communia cum Lutheranis, addā aliud, quod Caluinistarū propriū est. Doces, verba Christi, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non propriè, sed per tropum intelligenda esse. Hoc

sectæ

ſectæ Caluiniſticæ peculiare dogma eſt. Ab hoc dogmate, Sacramentarii appellati ſunt.

XIV. QVÆSTIO.

Quid ſentiendum de Conciliys generalibus hactenus celebratis.

1 TV planè de illis ſentis ac loqueris, vt Caluiniſtam decet. Nam pag. 107. disertè ais, Lateranẽſe, Lugdunẽ. & Viennenſe, non fuiſſe vera Concilia, *ſed ſpectra ſeu phãtaſmata Conciliorũ*. Rationẽ addis, quia illa non ſunt vera Concilia in quibus *ad vnius arbitriũ* fiunt omnia: At in Lateranẽſi, Lugdunenſi & Viennenſi, omnia facta ſunt ad arbitrium vnius Põtificis, qui illa indixit, iiſdem præſedit, & approbauit: Ergo non ſunt vera Concilia, ſed ſpectra ſeu phantaſmata Conciliorum.

2. Sed audi, mi homo. Hoc argumẽtum

tum in vos retorqueri poteſt, hoc modo; Illa non ſunt vera concilia, in quibus ad vnius arbitrium fiunt omnia : At in primis quatuor Conciliis generalibus, nempe in Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino & Calchedonenſi, omnia facta ſunt ad arbitrium vnius Imperatoris, vt vos contenditis (tametſi falſo) quia vultis Imperatorẽ, non Pontificem, ea indixiſſe, ac iiſdẽ præſediſſe: Et quidem Conſtantinũ præſediſſe Nicæno; Theodoſium ſeniorem Conſtantinopolit. Theodoſium iuniorẽ Epheſino; Marcianum Calchedonenſi: Ergo, ex tua ſententia, non ſunt vera Concilia. Itane vero? collige te, Lancellotte.

3. Hunc argumentandi modum, qui in vos retorqueri poteſt, video familiarem tibi eſſe. Nam vt alias notaui, in Tortura Torti vſus es ſimili hoc ſyllogiſmo; Vnum corpus non poteſt habere duo capita, alioqui eſſet monſtroſum : at Eccleſia Chriſti eſt vnum corpus fidelium : Ergo non poteſt habere duo capita : Cum ergo Chriſtus ſit caput

put Ecclesiæ, Pontifex esse non potest. Ego sic regessi; Cum ergo Christus sit caput Ecclesiæ Anglicanæ, Rex vester esse non potest. Hic obmutescis.

4. Porro, quid sentias de Concilio Constantiensi, non satis percipio. Nam cum loco citato dixisses, non esse habenda pro veris Conciliis, quæ à Cardinale Bellarmino erant enumerata, mox addidisti hanc particulam exceptiuam, *præter Constantiense vnum*. Hoc vnum laudas præ reliquis. Et quidem triplici nomine. Primo, quia in eo decretum est, inquis, vt deinceps non nisi viginti quatuor essent Cardinales. Secundo, quia in eo, non per Pontificem, sed per deputatos nationum gesta res est. Tertio, quia in eo coacti Pontifices in ordinem; & vno tempore, tres simul abdicati.

5. Multo aliter loqueris pag. 111. vbi oblitus prioris laudis, acerrimè perstringis hoc ipsum Concilium Constantiens. quasi fidem Husso promissam violauerit. Sic enim scribis; *At etiam, vt*

de

de ſaluo conductu quererentur, atque adeò vererentur Proteſtantes, fecit publica fides Cõſtantiæ non præſtita, qua non obſtante, aſſatus ibi, anſeris in morem, Ioannes Hus, vt viæ ſe pro in credere non auderent. Dupliciter hic peccas. Primo, quod vno ore, nunc calidum, nunc frigidum exſpires. Secundo, quod dicas fidem Huſſo ſeruatam non eſſe; quod falſum eſt, vt alibi oſtendi. Ex vtroque tuo peccato, ſic concludo; Quidquid in Conſtantienſi concilio geſtum eſt, non Pontificis arbitrio, ſed per deputatos nationum geſtum eſt, vt antea dixiſti: At in illo concilio, fides publica violata eſt, vt hic dicis: Ergo id, non Pontificis arbitrio, ſed per deputatos nationum factum eſt. Vides quid effeceris? Excuſaſti Pontificem à perfidia; & deputatos nationum accuſaſti. Hoc minimè volebas.

XV. QVÆ-

XV. QVÆSTIO.

Quale debeat esse Concilium generale?

1. DE eo sic scribis, pag. 161. *Et iam diu est, cum ad Concilium prouocamus, sed rite congregatum, vbi libertas suffragij; vbi praiudicium non sit pro iudicio; vbi non sedeat iudex, qui peragendus est reus; vbi titulares Episcopi non sint vel factitij; vbi minor Italorum numerus, qui soli suffragiorum numero vincunt cæteros, qui per Europam sunt, simul vniuersos.*

2. Igitur ad legitimum Concilium generale, requiris quinq; conditiones, quæ examinandæ sunt. Prima est, *vt libertas suffragii sit*, id est, vt quisq; liberè dicat suam sententiam. Hanc ais non seruari à Catholicis. Sed falso. Nam in Concilio Tridentino, sess. 13. in fine, disertè conceditur hæc libertas, his verbis; *Tridentina synodus, omnibus & singulis, siue clericis, siue sæcularibus personis, cuiuscunq; gradus, status, conditionis & qualitatis sint, quæ ad generale hoc Conciliũ accedere*

cedere voluerint, vt de iis rebus, quæ in ipsa synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare possint, publicã fidem & plenam securitatem concedit.

3. Secunda est, *vt præiudicium non sit pro iudicio.* Hanc etiam putas non seruari à Catholicis, quia antequam ad Concilium accedunt, præiudicant Lutheranos & Caluinistas esse hæreticos. Et hoc præiudicium postea habent pro iudicio At vos idem facitis. Præiudicatis enim Pontificem esse Antichristum, & omnes, qui Pontifici adhærent, Antichristianos. Imo, asseritis esse articulum fidei, vt patet ex vestro Pouelo, in tractatu de Antichristo. Iam igitur quæro, si indiceretur Concilium generale, an hoc præiudicium habituri essetis pro iudicio, nec ne? Si sic, non esset legitimum Concilium. Nam vt tu ipse ais, in legitimo Concilio, præiudicium non debet esse pro iudicio. Si non, iã articulum fidei vestræ desereretis. Nam articulus fidei apud vos est, Papam esse Antichristum. Et hic articulus est vobis in præiudicio. Si ergo hoc præiudicium desererе-

ſereretis, ſine dubio, articulum fidei veſtræ deſereretis. Quid tum fieret de reliquis articulis?

4. Tertia eſt, *vt non ſit Iudex, qui peragendus eſt reus*, id eſt, (te quidem interprete) vt Pontifex non ſit Iudex, qui à vobis accuſatur de idololatria, ac proinde reus eſt. Sed quis ergo, te arbitro, futurus eſt Iudex? An Rex Angliæ? Sed & ille accuſatur à nobis de hæreſi, ac proinde & ipſe reus eſt. An Rex aliquis alius? Nemo certè Christianus. Vel enim cum Pontifice ſentiret, vel cum aduerſariis. Si cum Pontifice, vobis reus eſſet. Si cum aduerſariis, nos reum ageremus. An Turcarum Imperator? Hunc tu malis, quam Pontificem.

5. Quarta eſt, *vt non adſint Epiſcopi titulares vel factitii*. At quinam illi ſunt? Tu, ſine dubio, eos intelligis, qui titulo, non reipſa ſunt Epiſcopi: vel clarius, qui accipiunt titulos ſuos ab illis locis aut prouinciis, vbi de facto nullos habent ſubditos aut iuriſdictionem. Cuiuſmodi apud nos ſunt Suffraganei,

quorum alius vocatur Episcopus Atheniensis, alius Ascolonitanus, alius alio nomine. Sed, quare hi excludendi sunt? An quia non habent subditos & iurisdictionem in iis locis, vnde titulum acceperunt? Hoc non obstat. Primo, quia Apostoli, cùm essent in Concilio Hierosolymitano, erant Episcopi totius orbis, iuxta illud, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ:* Et tamen eo tempore, non habebant subditos aut iurisdictionem in mundo vniuerso. An ideo exclusi sunt à Concilio? Nihil minus. Secundo, quia quo tempore Ariani dominati sunt in Ecclesiis orientalibus, multi Episcopi in exilium missi sunt, nec amplius in suis prouinciis pro Episcopis agniti ab Arianis. Et tamen, si fuisset occasio, potuissent generali Concilio interesse. Tertio, quia tametsi Suffraganei nostri non habeant subditos & iurisdictionem in Ecclesiis orientalibus, vbi Episcopi titulares sunt; habent tamen in occidentalibus, vbi Suffraganei sunt. Quarto, quia ad Concilium non tantum admittuntur

tuntur illi, qui habent ſubditos & iuriſdictionem; ſed etiam qui doctrina & pietate præditi ſunt.

6. Sed tamen demus tibi, quod vis. Non admittantur Epiſcopi titulares & factitii, vt tu loqueris. At qui magis factitii, quàm vos in Anglia? Habetis quidem opimos reditus, ſed legitimè conſecrati non eſtis. A quo enim? An à Rege? At is conſecrandi poteſtatem non habet, vt diſertè fatetur Tookerus veſter in Duello. An ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, vel aliquo ſimili? Ne id quidem. Nam ſub Eliſabetha, omnes Catholici Epiſcopi depoſiti ſunt, & in illorum locum intruſi alii, qui ſibi inuicem, cùm tamen nemo ex ipſis Epiſcopus eſſet, manus impoſuerunt, & hoc modo ſe mutuo ſcilicet conſecrarunt. Igitur, quotquot ab eis poſtea conſecrati ſunt, non legitimè, ſed ex præſumptione conſecrati ſunt. Merito ergo factitii dici poſſunt.

7. Quinta eſt, *vt minuatur Italorum numerus*. Quare hoc? *quia ſoli Itali*, inquis, *numero ſuffragiorum vincunt cæteros*,

ros, qui per Europam sunt, vniuersos. Itane verò? At tu alibi, si meministi, contrarium dicis. Nam in Tortura Torti (à qua Tortoris nomen sortitus es) disertè affirmas, non pauciores adhærere Regi Angliæ, quàm Pontifici. Verba tua sunt hæc: *Quod si præsentis instituti foret, edoceri posses, serenissimum magnæ Britanniæ Regem & qui cum eo sentiunt, partem esse Dominici gregis, nec minorem, nec minus illustrem, quàm quæ est pars Pauli Quinti.* Ex quibus sic concludo: Non minor pars Christianorum adhæret Regi vestro, quàm Pontifici: Ergo soli Itali non superant vniuersos. Aut si soli superãt vniuersos, cùm præter Italos multi alii adhæreant Pontifici, certè numerus adhærentium Pontifici est multo maior, quam numerus adhærentium vestro Regi. Consule calculos.

8. Nisi forte, non vniuersè de Italis, sed de solis Italiæ Episcopis locutus sis; & eorum numerum minui velis. Sed cur illi deterioris sint conditionis, quàm reliqui? Cur illos potius, quàm alios, acciso numero, venire necesse

necesse sit? Ideo, inquis, quia si omnes veniant, soli ipsi suffragiorum numero, reliquos omnes superaturi sunt. Metuis fortasse, ne si plures sint Catholici Episcopi, quàm hæretici, Catholicorum sententia in Concilio præualeat. Quid ergo faciendum censes? An vt hæretici maiori numero veniant, quàm Catholici? Non video, quo iure. An saltem, vt vtrinque par numerus sit? Sed si nihil, nisi suffragiis concludendum est, vt tu postulas, quid tandem concludi poterit, quando vtrinque suffragiorum numerus par est? Neutra pars volet cedere.

9. Iam vides, opinor, quàm parum prudenter ac circumspectè locutus sis. Quanquam tu nihili id æstimas. Satis tibi est, si Regi placeant, quas scripsisti fabulas. At vereor, ne displiceant. Nam tu aliter hic sentis, quam Rex tuus. Rex, in Monitoria Præfatione, neminem præter Iesuitas & Puritanos excludit à Concilio generali. Tu,

 admis-

admiſſis Ieſuitis & Puritanis, Epiſcopos titulares, & aliquam Italorum partem abeſſe vis. Quid ergo futurum eſſet, ſi indicto generali Concilio, venirent Ieſuitæ & Puritani? ſi Epiſcopi titulares & omnes Itali? Hic prima diſſenſio inter te & Regem eſſet. Quos tu admitteres, ille excluderet; & vice verſa. Et quis in hac diſſenſione, officio Iudicis fungeretur? Neuter veſtrum. Vterque enim reus eſſet. Reus autem, vt tu loqueris, Iudex eſſe non poteſt. Quis ergo? Elige, quem vis. Regi non perſuadebis.

XVI. QVÆSTIO.

An Card. Bellarminus ſibi ipſi contradixerit?

1. TV, qui in carpendis alienis videri vis oculatiſſimus, hic cæcus omnino es. Ais (pag. 115.) Bellarminum ſibi ipſi contradicere. Et hoc probas, quia cap. 5. apologiæ affirmat, *ſe ſcribendi breuitatem à Regis exemplo diſcere*

discere voluisse. Et rursum, *scribendi breuitatem sibi tam familiarem esse, vt non sit ei opus ab alio eam discere*. Hæc duo, inquis, non cohærent. Fateor. Sed nego, Bellarminum hæc duo affirmare. Posterius quidem affirmat; prius non item. Imo tantum abest, vt dicat se scribendi breuitatem à Rege discere voluisse, vt potius asserat, se ne sciuisse quidem quod Rex quicquam scripsisset. Sic enim de se loquitur; *Bellarminus non sciebat, se aduersus Regem scribere, cuius nomen in fronte libri non viderat; & fidem habuerat ÿs, qui nunciauerant librum Anglico idiomate esse, nescio, cuius Decani Sacelli Regÿ, versionem autem in latinam linguam esse Chronographi cuiusdam Regÿ, quas ille personas neque de nomine, neque de facie nouerat. Itaque non potuit Regium in scribendo modum de industria æmulari, qui Regium librum esse nesciebat. Breuitas autẽ in scribendo, & distinctio, quam sit illi familiaris & amica, norunt omnes, qui libros eius legerunt, vt opus ei non fuerit ab alÿs hæc discere*.

2. Hic vides, quam falso calumniam

contradictionis impingas Bellarmino. Vtinam ad tuas, & tuorum comitum contradictiones serio aduerteres. Quæ autem illæ sint, partim in priuilegiis Caluinistarum, partim in dissidio Anglicano, à me explicatum est. Eo te remitto. Vtinam, vel ad tui Regis contradictionē oculos aperires, quam Bellarminus loco citato notauit. Nam Rex in monitoria præfatione scribit, *Nullo atrociore verbo à se læsum fuisse Bellarminum.* Et tamen in Apologia vocat illum *Exiesuatum Cardinalem*, *flabellum seditionis*, *ambitiosum*, *mendacem*, *crasso errore detentum*, *à Ioue dementatum.* Hic aperi oculos, Laocellotte: Et vide, an nullo atrociore verbo lęsus sit Bellarminus.

XVII. QVÆ-

XVII. QVÆSTIO.

An Bellarminus aliquid immodestè scripserit?

1. TV bono viro, qui in omni vita modestissimus semper fuit, immodestiæ vitium obiicis. Sic enim scribis pagina 114. *De modestia Cardinalis quæritur. Vbi nuda facie est, fortasse non bacchatur: At larua ibi nihil suasit moderabile. In Regem nouies mendacium; septies falsum torquere, contumelias autem pleno claustro; Puritanum affirmare; Catholicum, Christianum negare; Iuliano deniq; conferre. Longè aberant à modestia hac, longius à veritate.*

2. Vis, vt regeram, mi homo? Feci alias: nunc repeto. De modestia tua quæritur. Cum apud Regem es, non baccharis: cum calamum stringis, nemini parcis. Clementem Octauum vocas *perfidum*: Cardinalem Bellarminum *excor-*

excordē, mendacem, virulētum, putulentū, votifragum, apostatam ordinis: Nicolaum Sanderum, *mendacissimum, sæculi sui dedecus, turpem proditorem, perduellem, diaboli filium*: Pacenium, *nequissimum sycophantam*. Gregoriū Turonensem, *fabulosum authorem*: alios bonos viros, *stultos, parasitos, portenta hominum*. Quid cēses? An hæc modesti ac moderati Episcopi verba sunt? Tua tamen sunt. Et hanc trabem in oculis tuis non vides, qui festucam in aliorum oculis vel acutissimè vides, vel videre te somnias. Deinceps illud cogita; Rō. 2. 1. *Inexcusabilis es o homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas.*

XVIII. QVÆSTIO

An Bellarmimus sit apostata ordinis?

1 HAnc notam bis impingis optimo Cardinali: semel in Tortura Torti,

ti, vbi vocas eum *votifragum*; ſemel in reſponſione ad Apologiam, vbi apoſtaſiam ordinis illi obiicis. Priori loco, ſic ſcribis; *Bellarminus olim Ieſuita factus, voti ſe reum fecit; & hoc votum iam fregit, poſtquam oſtrum induit.* Poſteriori ſic; *Bellarminus propriè ordinis apoſtata dicendus eſt, qui renunciauit ei, & votum, purpuræ poſthabuit.*

2. An hoc modeſtè à te dictum ſit, viderint alii. Et cur obſecro, Lutherum non dicis votifragum, qui ex Monacho factus eſt maritus? (Si tamen maritus, & non potius ſacrilegus fornicator aut adulter.) cur non apoſtatam ordinis, qui ordini renunciauit, & votum, mulierculæ poſthabuit? Et tamen hic ipſe Lutherus, ſanctitatis titulo à vobis inſignitur. Certè, Baccalaureus veſter Oxonienſis, Gabriel Pouelus, in tractatu de Antichriſto, ſanctum appellat. Sine dubio, ſi Bellarminus, non purpuram aut oſtrum, ſed monialem accepiſſet, iam non *apoſtata* aut *votifragus*, ſed ſimiliter *ſanctus*, magno plauſu, à vobis fuiſſet proclamatus. *Væ, qui dicitis tenebras lucē, & lucem tenebras.*

3. Sed

3. Sed ad rem. Bellarminus non eſt votifragus, non eſt apoſtata. Si non intelligis, accipe, quod alias dixi. Aliud eſt, abſolutè & ſimpliciter aliquid vouere, ſeu Deo promittere; aliud vero cum certa limitatione. Qui priori modo vouet, tenetur præſtare, quod promittit. Qui poſteriori, poteſt ſolui obligatione, quando limitatio patitur. Exempla habemus in veteri Teſtamento. Nam filiæ & vxores vouebant cum hac limitatione, ſi parentes & mariti conſentirent. (Num. trigeſimo) Nazaræi cum hac, vt certo duntaxat tempore, & non omni vita, vellent ſe obſtringere. (Num. ſexto) Simili modo fit in noſtra Societate. Qui ſimplici voto ſe obſtringit, non aliter cenſetur obſtrictus, quam ad arbitrium ſuperiorum. Vnde, ſi ſuperiores ex iuſta cauſa dimittant illum à Societate, ceſſat obligatio. Qui autem ſolenni voto ſe obſtringit, pendet ex arbitrio Pontificis, qui illum poteſt eripere Societati, & in alio ſtatu collocare.

4. Et

4. Et quid hoc noui est? Quotidie apud vos similia fiunt. Promittitis Regi vestro fidelitatem & obedientiam, sed cum hac duplici limitatione. 1. quamdiu manetis in Anglia. 2. quamdiu Rex non mutat religionem. Si secus fiat, putatis vos non obstringi. Hoc ad te spectat, Lancellotte. Meministi enim, vt opinor, quid scripseris in Tortura tua. *Rex noster*, inquis, *non semel, sed bis periurus sit*, si admittat aliam religionem. Igitur, si id faceret, non præstares illi, vtpote bis periuro, fidelitatem & obedientiam.

XIX. QVÆSTIO.

An Canonistæ sint parasiti?

1. OMnes Canonistæ, quia plus tribuunt Pontifici & Cardinalibus, quam tu velles, parasiti apud te audiunt, (pag. 106. & 109.) Ego quidem eos, qui verè parasiti seu adulatores sunt, non

admiſſis Ieſuitis & Puritanis, Epiſcopos titulares, & aliquam Italorum partem abeſſe vis. Quid ergo futurum eſſet, ſi indicto generali Concilio, venirent Ieſuitæ & Puritani? ſi Epiſcopi titulares & omnes Itali? Hic prima diſſenſio inter te & Regem eſſet. Quos tu admitteres, ille excluderet; & vice verſa. Et quis in hac diſſenſione, officio Iudicis fungeretur? Neuter veſtrum. Vterque enim reus eſſet. Reus autem, vt tu loqueris, Iudex eſſe non poteſt. Quis ergo? Elige, quem vis. Regi non perſuadebis.

XVI. QVÆSTIO.

An Card. Bellarminus ſibi ipſi contradixerit?

1. TV, qui in carpendis alienis videri vis oculatiſſimus, hic cæcus omnino es. Ais (pag. 115.) Bellarminum ſibi ipſi contradicere. Et hoc probas, quia cap. 5. apologiæ affirmat, *ſe ſcribendi breuitatem à Regis exemplo diſcere*

discere voluisse. Et rursum, *scribendi breuitatem sibi tam familiarem esse, vt non sit ei opus ab alio eam discere.* Hæc duo, inquis, non cohærent. Fateor. Sed nego, Bellarminum hæc duo affirmare. Posterius quidem affirmat; prius non item. Imo tantum abest, vt dicat se scribendi breuitatem à Rege discere voluisse, vt potius asserat, se ne sciuisse quidem quod Rex quicquam scripsisset. Sic enim de se loquitur; *Bellarminus non sciebat, se aduersus Regem scribere, cuius nomen in fronte libri non viderat; & fidem habuerat ijs, qui nunciauerant librum Anglico idiomate esse, nescio, cuius Decani Sacelli Regij, versionem autem in latinam linguam esse Chronographi cuiusdam Regij, quas ille personas neque de nomine, neque de facie nouerat. Itaque non potuit Regium in scribendo modum de industria æmulari, qui Regium librum esse nesciebat. Breuitas autē in scribendo, & distinctio, quam sit illi familiaris & amica, norunt omnes, qui libros eius legerunt, vt opus ei non fuerit ab alijs hæc discere.*

2. Hic vides, quam falso calumniam

contradictionis impingas Bellarmino. Vtinam ad tuas, & tuorum comitum contradictiones serio aduerteres. Quæ autem illæ sint, partim in priuilegiis Caluinistarum, partim in dissidio Anglicano, à me explicatum est. Eo te remitto. Vtinam, vel ad tui Regis contradictionē oculos aperires, quam Bellarminus loco citato notauit. Nam Rex in monitoria præfatione scribit, *Nullo atrociore verbo à se læsum fuisse Bellarminum.* Et tamen in Apologia vocat illum *Exiesuatum Cardinalem*, *flabellum seditionis*, *ambitiosum*, *mendacem*, *crasso errore detentum*, *à Ioue dementatum.* Hic aperi oculos, Laocellotte: Et vide, an nullo atrociore verbo lęsus sit Bellarminus.

XVII. QVÆ-

XVII. QVÆSTIO.

An Bellarminus aliquid immodestè scripserit?

1. TV bono viro, qui in omni vita modestissimus semper fuit, immodestiæ vitium obiicis. Sic enim scribis pagina 114. *De modestia Cardinalis quæritur. Vbi nuda facie est, fortasse non bacchatur: At larua ibi nihil suasit moderabile. In Regem nouies mendacium; septies falsum torquere, contumelias autem pleno plaustro; Puritanum affirmare; Catholicum, Christianum negare; Iuliano deniq; conferre. Longè aberant à modestia hæc, longius à veritate.*

2. Vis, vt regeram, mi homo? Feci alias: nunc repeto. De modestia tua quæritur. Cum apud Regem es, non baccharis: cum calamum stringis, nemini parcis. Clementem Octauum vocas *perfidum*: Cardinalem Bellarminum *excor-*

excordẽ, mendacem, virulẽtum, putulentũ, votifragum, apoſtatam ordinis: Nicolaum Sanderum, *mendaciſſimum, ſaculi ſui dedecus, turpem proditorem, perduellem, diaboli filium*: Pacenium, *nequiſſimum ſycophantam*. Gregoriũ Turonenſem, *fabuloſum authorem*: alios bonos viros, *ſtultos, paraſitos, portenta hominum*. Quid cẽſes? An hæc modeſti ac moderati Epiſcopi verba ſunt? Tua tamen ſunt. Et hanc trabem in oculis tuis non vides, qui feſtucam in aliorum oculis vel acutiſſimè vides, vel videre te ſomnias. Deinceps illud cogita; Rõ. 2. 1. *Inexcuſabilis es o homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas.*

XVIII. QVÆSTIO

An Bellarmimus ſit apoſtata ordinis?

1 HAnc notam bis impingis optimo Cardinali: ſemel in Tortura Torti,

ti, vbi vocas eum *votifragum*; ſemel in reſponſione ad Apologiam, vbi apoſtaſiam ordinis illi obiicis. Priori loco, ſic ſcribis; *Bellarminus olim Ieſuita factus, voti ſe reum fecit; & hoc votum iam fregit, poſtquam oſtrum induit.* Poſteriori ſic; *Bellarminus propriè ordinis apoſtata dicendus eſt, qui renunciauit ei, & votum, purpuræ poſthabuit.*

2. An hoc modeſtè à te dictum ſit, viderint alii. Et cur obſecro, Lutherum non dicis votifragum, qui ex Monacho factus eſt maritus? (Si tamen maritus, & non potius ſacrilegus fornicator aut adulter.) cur non apoſtatam ordinis, qui ordini renunciauit, & votum, mulierculæ poſthabuit? Et tamen hic ipſe Lutherus, ſanctitatis titulo à vobis inſignitur. Certè, Baccalaureus veſter Oxonienſis, Gabriel Pouelus, in tractatu de Antichriſto, ſanctum appellat. Sine dubio, ſi Bellarminus, non purpuram aut oſtrum, ſed monialem accepiſſet, iam non *apoſtata* aut *votifragus*, ſed ſimiliter *ſanctus*, magno plauſu, à vobis fuiſſet proclamatus. *Væ, qui dicitis tenebras lucẽ, & lucem tenebras.*

3. Sed

4. Et quid hoc noui est? Quotidie apud vos similia fiunt. Promittitis Regi vestro fidelitatem & obedientiam, sed cum hac duplici limitatione. 1. quamdiu manetis in Anglia. 2. quamdiu Rex non mutat religionem. Si secus fiat, putatis vos non obstringi. Hoc ad te spectat, Lancellotte. Meministi enim, vt opinor, quid scripseris in Tortura tua. *Rex noster*, inquis, *non semel, sed bis periurus sit*, si admittat aliam religionem. Igitur, si id faceret, non præstares illi, vtpote bis periuro, fidelitatem & obedientiam.

XIX. QVÆSTIO.

An Canonistæ sint parasiti?

1. OMnes Canonistæ, quia plus tribuunt Pontifici & Cardinalibus, quam tu velles, parasiti apud te audiunt, (pag. 106. & 109.) Ego quidem eos, qui vere parasiti seu adulatores sunt, non

non excuſo. Multo minus laudo. Laudo potius Apoſtolum, qui 1. Theſſ. 2. 4. ſcribit; *Loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ; Deus teſtis eſt.* Sed tamen, quod ſupra miratus ſum, nunc etiam miror; te, quo vitio maximè laboras, hoc ipſum aliis obiicere. Quis magis paraſitus & adulator, quã tu? Quidquid ſcribis, eo ſpectat, vt illi placeas, qui Epiſcopatus diſtribuit. Is vnus, inter omnes principes, in tua lingua & calamo, verè princeps eſt: Nemo alius, tam integer vitæ ſceleriſque purus: Nemo, à quo melius virtutem diſcas: Ille ſolus, quaſi Phoſphorus, nouam lucem in mũdum intulit: Ad eius ſolius normam, omnes Reges ac Principes, conſiliorum ſuorum curſum derigere debent.

2. Quid hoc aliud eſt, quam paraſitum agere? Iam ſupra, id monui. Cur igitur, qui inter paraſitos facilè Dux es, aliis hoc crimen obiicis? Debebas cogitare, illud Poëtæ torqueri in te poſſe;

Væ

Væ tibi tu, nigra dicebat cacabus ollæ. Aut, ſi Euangelio credis, vereri poteras, ne idem tibi eueniret, quod Scribis & Phariſæis contigit. Qui cùm mulierem in adulterio deprehenſam accuſarent, & lapidibus obruendam eſſe ſtatuerent, reſponſum acceperunt à Chriſto; *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Et ſequitur; *Audientes autem, vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus* Intelligis, quid velim.

3. Sed cur Canoniſtis tam infenſi eſtis in Anglia? An, quia plus æquo tribuunt ſummo Pontifici? Hoc quidem vos dicitis; ſed non ſine maleuolentia & mendacio In eo maleuoli eſtis, quod, ſi illi plus æquo tribuunt Pontifici, vos plus æquo detractum illi vultis. In eo mendaces, quod aſſeritis Canoniſtas, & nominatim Bertachinum in Repertorio, Verbo, *Papa*, diſertè ſcribere, *Papam poſſe diſpenſare contra vetus & nouum Teſtamentum.* At Bertachinus diſertè contrarium ſcribit, his verbis; *Papa non poteſt diſpenſare in prohibitis Teſtamento veteri & nouo.* Item; *Papa non poteſt diſ-*

pensare super vsuris, cùm sint prohibitæ iure diuino Item; Papa non potest dispensare, quod matrimonium contrahatur inter personas iure diuino prohibitas. Notaui hoc pridem in Antichristo Reformato.

XX. QVÆSTIO.

An Sancti intercedant pro nobis?

1. TV distinguis inter intercessionem Sanctorum, & inuocationem. Hanc ais negari à Rege Angliæ, non illam. Sic enim scribis pag. 35. *De inuocatione proponit Rex:* Cardinalis respondet de intercessione. *Intercessio, opus Sanctorum: Inuocatio, nostrum. Intercedere sanctos, probat Cardinalis: Rex non negat. Inuocandos negat Rex; Cardinalis non probat.*

2. Dupliciter hic peccas. Primo, in Bellarminum. Deinde, in Regem. Ais Bellarminum iis exemplis, quæ adduxit in Apologia, non probare inuocationem Sanctorum, sed tantum intercessionem.

sionem. Falsum est. Probat inuocationem. Producit enim antiquos Patres, qui vel ipsi Sanctos inuocarunt, vel alios ad eos inuocandos hortati sunt. Quod tu ipse fateris pag. 38. his verbis; *De inuocatione tamen hac decurramus, quæ adduxit Cardinalis.* Et ibi conaris respondere ad testimonia Patrum, quibus Cardinalis confirmat Sanctorum inuocationem.

3. Falsum quoque est, Regem non negare intercessionem. Planè negat. Nam in monitoria Præfatione disertè scribit, B. Virginem & alios Sanctos *in æterna fælicitate collocatos, nunquam à tantis gaudijs vlla terrenarum rerum cura aut sollicitudine auocari.* Quod clarius explicat Tookerus, interpres ac defensor Regis, in Duello, cum ait, *Sanctos sollicitudinem nostri non gerere: longissimè à rebus nostris abesse. terrenis negotiis non distineri: salutem nostram non procurare: visionem diuinitatis, & gloriæ fruitionem in causa esse, quominus ad nostras preces possint attendere, ne perfectum illorũ*

gaudium interrumpatur. Vnde ſic argumentor; Qui negat Sanctos vllam noſtri curam & ſollicitudinem gerere, aut ſalutem noſtram procurare, is ſine dubio negat, Sanctos pro nobis intercedere: At Rex & Tooker. negant prius. Ergo & poſterius.

4. Neq; tamen approbo ſententiam Regis & Tookeri. Nam, vt alibi dixi, ſi viſio diuinitatis & gaudium cœleſte obſtaret, quo minus Sancti poſſint noſtri curam gerere & ad res noſtras attendere; ſanè nec Chriſtus ſecundum humanitatem, nec Angeli cuſtodes poſſent noſtri curam gerere, aut ad res noſtras attendere, cùm & ipſi clarè videant diuinitatem, & gaudio cœleſti perfruantur. At conſequens falſum eſt. Ergo & antecedens.

5. Dupliciter reſpondet Tookerus. 1. de Angelis. 2. de Chriſto. Angeli, inquit, laudant Deum, nec ad res noſtras attendunt, *niſi iuſſi à cœleſtis militiæ Imperatore, de ſtatione ſua excedant*. Sed quid eſt, obſecro, Angelos de ſtatione ſua excedere? An idem, quod viſionem diuinitatis

nitatis & gaudium cœleste interrumpere? Sic videtur Tookerus intelligere. Sed planè errat. Nam Scriptura disertè affirmat, Angelos semper in visione diuinitatis & cœlesti gaudio persistere, etiam tunc, cum nostri curam gerunt, vt patet ex illo Matth. 18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

6. De Christo sic habet; *Non est eadem ratio Christi & Sanctorum. De Sanctis, qui sunt vascula gloriæ, verum est*: (quod scilicet non possint ad res nostras attendere.) *de Christo, cuius splendor & coruscatio gloriæ in essentia & potentia, infinita est, falsum.* Sed primum, quid dicet de Angelis? an etiam de illis verum est? Nam & illi sunt *vascula gloriæ*. Deinde falsum est, Christi splendorem & coruscationem in essentia & potentia infinitam esse, si spectemus Christum secundum humanitatem, sicut hoc loco spectari debet. Nam sicut humanitas Christi finita est, sic etiam visio, qua intuetur diuinitatem, finita est.

XXI. QVÆSTIO.

An ideo Sancti inuocandi non ſint, quia nullum exſtat præceptum de hac re?

1. ITa tu quidem ſentis Lancellotte. Nam p. 37. ſic ſcribis, *Non audemus vota noſtra preceſq; ad illos dirigere, cùm præceptum ea de re nullum acceperimus, Præceptum autem acceperimus in lege, diſertis verbis,(Deut.12.39.) Quod tibi præcepero hoc tantum facies. Inde, id tantũ audemus facere, de quo præceptum habemus. Vos præceptum adducite, ſtatim eos vobiſcum inuocamus.*

2. Valde iam ſcrupuloſus es. Nihil audes facere, quod præceptum non ſit, quia ſcriptum eſt in Deuteronomio, *Quod tibi præcepero hoc tantum facies*. Sed cur alibi hic ſcrupulus te non angit? Audes inuocare Sanctos, qui nobiſcum hic viuunt. Audes cum Apoſtolo dicere, 2. Theſſ.3. 1. *Fratres orate pro nobis.* Et tamen nec Apoſtolo, nec tibi præceptum de hac re datum eſt. Audes Epiſcopatum

tum Eliensem admittere, Regi assentari, conuitio alios lacessere. An etiam de his præceptum accepisti?

3. Illud porro ex Deuteronomio, *Quod tibi præcepero, hoc tantum facies*; vel non rectè intelligis, vel de industria male vsurpas. Textus sic habet; *Quando disperdiderit Dominus Deus gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum; caue, ne imiteris eas, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Igitur hæc posteriora verba, quæ tu citas, habent hunc sensum, Quando sacrificium offeres Domino Deo tuo, non imitaberis gentiles, qui falsis Diis offerunt suos filios & filias per ignẽ; sed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio, nempe ex animalibus oues, capras, hædos, boues, vitulos, columbas, passeres;

 turtu-

turtures: ex fructibus terræ, panem, similam, ſalem, thus, manipulum ſpicarum virentium,& triticum: ex liquoribus; ſanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* An hinc colliges, nihil omnino faciendum eſſe, quod præceptum non eſt? Ineptiſſimè. Hoc ſolum collige, in veteri Teſtamento non licuiſſe quicquam offerre Deo in ſacrificium externum, niſi quod Deus offerri præcepiſſet. Non eſt ergo, quod perſuadeas populo Elienſi, *Id tantum audemus facere, de quo præceptum habemus.*

XXII. QVÆSTIO.

Quid S. Ambroſius ſentiat de Tranſſubſtantiatione.

1. CArdinalis Bellarminus in Apologia cap. 8. oſtendit S. Ambroſiũ agnouiſſe Tranſſubſtantiationem, id eſt, mutationem ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis Chriſti. Et citat verba Ambroſii ex libro, De iis, qui initiantur myſte-

myſteriis,c. 9. Sunt autẽ hæc; *Quantis vtimur exẽplis, vt probemus non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit? maioremq; vim eſſe benedictionis, quã naturæ, quia benedictione etiã natura ipſa mutatur.* Hinc colligit Bellarm. hãc eſſe mentẽ Ambroſii, quod vi cõſecrationis mutetur natura panis in ſubſtantiam carnis Chriſti. Et ſic eſt.

2. Quid tu hic Lancellotte? Ais Ambroſium hoc tantum velle, quod *alia ſit natura panis, alia Sacramenti*: ſeu, quod aliud ſit panis ante cõſecrationem; aliud poſt conſecrationem. In pane ante cõſecrationem nihil aliud eſſe, niſi quod natura formauit: in pane poſt conſecrationem, manere quidem id, quod natura formauit, ſed accedere rationẽ Sacramenti, quæ antea non erat. Et hoc confirmas ex eodem Ambroſio libr. 4. de Sacramentis, cap. 4. vbi dicis eum affirmare, verba cõſecrationis nihil aliud operari circa elementa panis & vini, *quam vt ſint, quod erant, & in aliud commutentur.* (pag. 193.)

3. Audi. Purus putus Caluiniſta es: Et

duplicem fraudē facis. Primo, quia mala fide citas Ambros. verba. Ambrosius sic habet; *Vt sint, quæ erant, & in aliud cōmutētur.* Tu citas hoc modo; *Vt sint, quod erant, & in aliud commutentur.* Quis non aduertat imposturā? Valdè distant hæc duo, *Vt sint, quæ erant*, Et, *Vt sint, quod erant.* Prius rectè asseritur ab Ambrosio, posterius, falsò illi affingis.

4. Deinde, peruertis mentē Ambros. Non hoc solū vult, quod tu fingis, *aliam esse naturam panis, aliam sacramenti.* Quis enim de eo dubitet? aut quid opus erat hoc probare tot exemplis? Hoc igitur vult, panem secundum naturam & substantiam suam mutari in corpus Christi: Et, ante consecrationem, esse panem; post consecrationem, non esse panem, sed corpus Christi. Sic enim loquitur lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. *Panis iste, panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et infra in eodem capite; *Non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem, dico tibi, quod iam corpus est Christi.* Et iterum; *Ergo didicisti,*

quod

quod ex pane fiat corpus Christi: & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Et in libro de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 9. *Fortè dicas: Aliud video quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, vt adhuc probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non esse hoc, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? Maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moses: proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudã serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatã esse naturam & serpẽtis & virgæ.* Et post multa similia exempla allata; *Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, nõ potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare quam mutare naturas.*

5. Ex his loquendi formulis facile aduertis, quanta inter te & Ambrosium sit distantia. Ambrosius dicit; *De pane fit caro Christi.* Tu dicis cum Caluinistis;

Panis

Panis manens panis, fit signum seu Sacramentum carnis Christi. Perinde, ac si vnus diceret; *De hedera fit vinum*: Alter, *Hedera manens hedera, fit signum vini:* Ambrosius dicit; *Non est hoc, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit*, id est, Non est panis, sed caro Christi. Tu dicis cum Caluinistis; *Est quidem hoc, quod natura formauit*, quia est panis; sed simul est etiã, *quod benedictio consecrauit*, quia panis fit signum carnis Christi. Ambrosius dicit; *Non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem est corpus Christi.* Tu dicis cum Caluinistis; *Panis ante consecrationem non erat signũ corporis Christi; sed post consecrationem est signum corporis Christi.* Ambrosius dicit; *Maior est vis benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur*, id est, benedictione mutatur natura panis in carnem Christi; vel, vt supra, *de pane fit caro Christi.* Tu dicis cum Caluinistis, *Non est maior vis benedictionis, quam naturæ*, quia natura panis non mutatur per benedictionem, sed solum accedit illi, quod sit Sacramentum vel signum carnis

nis Christi. Ambrosius dicit; *Sicut virga Mosis facta est serpens, sic panis factus est caro Christi.* Tu dicis cum Caluinistis; *Panis non est factus caro Christi, sed tantum signum carnis Christi.* Omitto reliqua, quæ Lectori facilè occurrent.

XXIII. QVÆSTIO.

Quid S. Augustinus sentiat de miraculis?

1 BEllarminus in Apologia cap. 12. citat Augustinum pro confirmatione miraculorum, his verbis; *Qui autem miracula, quæ per indusia, cæterasque reliquias fiunt, damnat, damnare etiam debet miracula, quæ teste Luca, in Actibus Apostolorum, cap. 19. fiebant per sudaria & semicinctia S. Pauli: Et quæ teste S. August. lib. 22. de ciuitate Dei, fiebant per reliquias sancti Stephani, & alia id genus plurima, quib. pleni sunt libri sanctorum Patrum.*

2. Tu, (pag. 284.) respondes Augustinum

stinum sibi ipsi contrarium esse. Nam loco citato eum scribere, multa miracula fieri in Africa per reliquias sanctorum: At Epistola centesima trigesima septima ad clerum & populum Hipponensem scribere, *nusquam in Africa talia fieri.* Vis, dicam Lancellotte. Augustinus sibi contrarius non est; sed tu mẽdax es, & August. iniuriam facis. Quod dixerat priori loco, non negat posteriori, vt tu impudẽter illi affingis. Priori dixerat, multa miracula suo tẽpore facta esse in Africa, quæ ipse sigillatim enumerat. Posteriori dicit, vnum peculiarẽ miraculum, nempe patefactionẽ secretorum, cum alibi factũ sit, in Africa suo tempore factum non esse. An hæc contraria sunt? Nihil minus. Perinde est, ac si dicam, multa hominum genera reperiri in Anglia, non tamen gigantes: aut, multa flagitia perpetrari in Anglia, non tamen idololatriam.

3. Addo, Augustinũ vtroq; loco tibi contrarium esse. Nam priori disputat contra tui similes, qui dicebant; *Cur nũc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt?*

fiunt? id eſt, cur illa miracula, quæ prædicatis facta eſſe tẽpore Chriſti & Apoſtolorum, non fiunt hoc tempore apud vos? Et reſpondet dupliciter. Primo his verbis; *Poſſem quidẽ dicere neceſſaria fuiſſe priuſquam crederet mũdus, ad hoc vt crederet mũdus. Quiſquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnũ eſt ipſe prodigium, quod mundo credente nõ credit.* Hoc tibi, & tuis Puritanis dictum puta. Secundo reſpõdet, non ſolum Chriſti & Apoſtolorum ſed etiam ſuo tempore facta eſſe multa miracula in Africa. Et ex illis plurima commemorat.

4. Poſteriori loco proponit hãc quæſtionem, cur apud ſepulchrum S. Fælicis Nolani, occulta hominũ peccata diuinitus patefiant, & non in Africa vel alibi? Et reſpondet his verbis; *Vbiq; quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco qui condidit omnia, & eũ à veris adoratorib. in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens in occulto etiã iuſtificet & coronet. Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alijs locis*

hæc

hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Et paulo post; *Sicut enim quod Apostolus dicit, Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum; ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.* Hæc responsio aptissima contra vos est. Soletis quærere, quare in India fiant miracula à Iesuitis, & non in Anglia vel Germania? Iam audistis ex Augustino. Quid vultis amplius? Nisi & vos magna sitis prodigia, qui credente mundo, non creditis.

XXIV. QVÆSTIO.

Quæ sint Scripturæ Canonicæ.

1 HVic quæstioni, quæ inter te & Bellarminum orta est, occasionem dedit Serenissimus Rex. Nam in monitoria præfatione agnoscit cum Bellarmino (lib. 1. de verbo Dei, cap. 4.) duos

duos ordines Scripturarum, in quorum primo ſint hi libri; Pentateuchus Moſis, liber Ioſue, Iudicum, Ruth; Regũ quatuor; Paralipomenon, duo; Eſdræ, & Nehemiæ, duo; Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Prophetæ maiores, quatuor; Prophetæ minores, duodecim; Euangeliorum libri quatuor; Acta Apoſtolorum; Epiſtolæ Pauli, tredecim (omiſſa videlicet ſola Epiſtola ad Hebræos) Epiſtolæ canonicæ duæ, Petri vna; Ioannis altera. In ſecundo hi; Heſther, Baruch, Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæi, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Iacobi, Poſterior Petri, Secunda & tertia Ioannis, Epiſtola Iudæ, Apocalypſis.

2 Dicit ergo Sereniſſimus Rex, libros primi ordinis eſſe diuinos & canonicos; non item ſecundi ordinis. Itaq; ex his nullum caput fidei elici ac ſtabiliri poſſe.

3 Bellarminus capite ſeptimo Apologiæ ſic obijcit; Non poſſumus ex ipſis ſcripturis cognoſcere, qui libri ſint canonici, qui apocryphi: Ergo ex traditione & authoritate Eccleſiæ cog-

noſcendum eſt. At Eccleſia non ſolum libros primi, ſed etiam ſecundi ordinis, ponit in canone: Ergo vtriq; ſunt canonici & diuini. Huc adducit illud Auguſtini; *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret authoritas*

4. Ad hoc Bellarm. argumentũ dupliciter reſpondes. Ac primum ais, ex ſcripturis cognoſci poſſe, qui libri ſint canonici, qui non ſint; præſertim ex illo Rõ. 3. 2. *Credita ſunt illis*, id eſt, Iudæis, *eloquia Dei*. Ex quo loco videris ſic argumẽtari; Omnes libri canonici ſunt in canone Iudæorum (ſic enim interpretaris verba Apoſtoli) at ſoli libri primi ordinis, quod ad vetus Teſtamentum attinet, ſunt in canone Iudæorum : Ergo illi ſoli ſunt canonici.

5. Nihil proficis, Lancellotte. Primo, quia non tantum agitur de libris veteris, ſed etiam noui Teſtamẽti. Nam Bellarmini obiectio hanc vim habet; Non poſſumus ex ipſis ſcripturis cognoſcere qui libri veteris ac noui Teſtamenti ſint canonici, qui apocryphi: Nuſquã enim legimus in ſcripturis, libros primi ordinis eſſe canonicos; libros ſecundi ordinis

nis

nis esse apocryphos. Et ita est. Nusquam hoc legimus. Nec ex illis verbis Apostoli, *Credita sunt Iudæis eloquia Dei*, id cognosci potest. Nam si quæram ex te, an Epistola D. Pauli, in qua habentur illa verba, sit canonica, nec ne; non satisfacies, si dicas, *Credita sunt Iudæis eloquia Dei.* Nulla enim hæc consequentia est; Iudæis credita sunt eloquia Dei: Ergo Epistola D. Pauli est canonica.

6. Deinde, etiamsi ageretur tantum de libris veteris Testamenti, ne sic quidem causam tuam promoueres. Nam cum ait Apostolus, Iudæis, non item gentilibus credita esse eloquia Dei nihil aliud videtur dicere, quam quod ante ipsum dixerat Propheta Dauid, Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* At hinc non potest colligi, qui libri veteris Testamenti sint Canonici: Ergo nec inde. Minor patet, quia Dauid per *iudicia*, non intelligit omnes libros canonicos veteris Testamenti (Non enim intelligit Prophetas maiores & minores, quia illi nondũ ex-

ſtabant) ſed intelligit legem Moſaicam; id eſt, præcepta moralia Decalogi, cæremonialia Leuitici, & iudicialia Deuteronomii. Si ergo Apoſtolus eodem ſenſu explicetur, vt multi explicant, nihil ex illo concludi poteſt. Sed demus tamen, Apoſtolum plura complecti per *Eloquia Dei*, quam Dauidem per *iudicia Dei*; quomodo probabis, quod complectatur omnes & ſolos libros canonicos veteris Teſtamenti? Et rurſum, ſi illos omnes & ſolos complectitur; quomodo inde cognoſces, an liber Eſther ſit canonicus, necne? Nam aliqui, vt infra dicam, ponunt illum in canone Iudæorum, aliqui excludunt. Et hæc lis finiri non poteſt ex illis verbis Apoſtoli, *Credita ſunt illis eloquia Dei*.

7. Secundo, reſpondes, in hac controuerſia de Scripturis canonicis, non eſſe ſpectandam authoritatem Eccleſiæ noſtræ Catholicæ, *quæ nunc eſt*, *ſed quæ fuit olim Apoſtolorum tempore*. Et de hac locutum eſſe Auguſtinum, cum dixit, *Euangelio non crederē, niſi me Eccleſiæ commoueret authoritas*. Sed audi, bone vir. Eccleſia Chriſti, quę fuit tempore Apoſtolo-

ſtolorum & Auguſtini, vel omnino periit, vel adhuc ſupereſt. Si periit, quomodo verum eſt, quod dixit Chriſtus, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam?* Si periit, in qua Eccleſia Chriſtiani iam ſunt? Si adhuc ſupereſt, cur illius authoritati non acquieſcis? Quid prouocas ad Apoſtolorum & Auguſtini tempora? Si tunc valuit Eccleſiæ Chriſti authoritas, etiam nunc valet. Non enim diuerſa, ſed eadem Eccleſia eſt; quæ per ſingulas ætates ab Apoſtolis ad nos vſq;, ſine interruptione, perſeuerat; nec vnquam à portis inferorum deſtructa eſt, aut deſtrui poteſt. Ad hanc prouocat Bellarminus. Quid tergiuerſaris? Si olim tempore Apoſtolorũ, fuit columna & firmamentũ veritatis, etiam nunc eſt.

8. An dices, eandem quidem Eccleſiam, quæ olim fuit, nunc etiam eſſe; nõ tamen apud nos, ſed apud vos, eam reperiri? Non audebis, ſcio. Nam ſi apud vos eſt, cur ad eam non prouocaſti? Cur ad tempora Apoſtolorum nos trahis? Nimirum, tacitè inſinuas, apud vos non eſſe. Et certè non eſt. Nam veſtra Eccleſia non poteſt per legitimam ſucceſſio-

nem continuari cum Ecclesia, quæ fuit superioribus sæculis; nostra potest. Nostra igitur vera Ecclesia est, non vestra.

9. Hoc confirmo ex ipsa materia, de qua agimus. Agimus de canone. Vos in vestra, nos in nostra Ecclesia habemus canonem. Nos nostrum, per traditionẽ nunquam interruptam, deducere possumus vsque ad tempora primitiuæ Ecclesiæ; vos non potestis. Quod sic ostendo. Nos nostrum canonem accepimus à Patribus Conc. Tridẽt. sess. 4. Hi à Patribus Conc. Florent. Hi rursum à Gelasio Papa, cap. *Sancta Romana*, dist. 15. Gelasius ab Augustino, lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. Augustinus à Patrib. Conc. Carthaginen. 3. Hi ab Innocẽtio I. Epist. 3. ad Exuperium cap. 7. Et sic deinceps. At vos, vnde vestrum canonem proximè & immediatè accepistis? Ostẽdite similem per varias ætates traditionem nunquam interruptam. Non potestis.

10. Obiicis, vestrum canonem consignatum esse à 10. Patribus, qui fuerunt ante Augustinum, nempe à Melitone Sardensi (apud Euseb. lib. 4. hist. Eccles.

cap.

cap.26.) Origene in Iosue, Athanasio in Synopsi, Hilario in Prolegomenis in Psalmos, Epiphanio hæresi 8. Cyrillo in Catechesibus, Nazianzeno in lib. de veris & genuinis scripturis, Amphilochio ad Seleucum, Hieronymo in Prologo Galeato, Ruffino in expositione Symboli. *Hi decem testes*, inquis, *omni exceptione maiores sunt*. Sed primo, cur his paucis fidem potius habes, quam Augustino, & aliis quamplurimis, qui nostrum canonem consignarunt? Deinde, si illi decē testes, vt tu ais, omni exceptione maiores sunt, cur Augustinus eos secutus non est? cur alii post Augustinum secuti non sunt? cur sequentibus ætatibus, in nullo Concilio, canō illorum approbatus est? Deniq;, quod præcipuū est, illi ipsi Patres, quos citasti, nec inter se, nec vobiscum, in canone consentiūt. Non quidem inter se, quia tres ex illis, nempe Melito, Athanasius & Nazianzenus, librum Esther excludunt à canone; reliqui admittunt. Quod tamen mirum videri tibi non debet, quia nihil adhuc erat ab Ecclesia definitum. Nec vobiscum, Primo, quia si admittitis librum

Esther, vt canonicũ, pugnatis cum Melitone, Athanasio & Nazianzeno: si excluditis à canone, pugnatis cum aliis. Igitur decem testes, quos adduxisti, vel ad ternarium, vel ad septenarium redacti sunt. Secundo, quia aliqui ex illis, ponunt in canone omnes libros noui Testamenti, qui sunt secundi ordinis, vt Epistolam ad Hebręos, Epistolam Iacobi, posteriorem Petri, secundam & tertiam Ioannis, Epist. Iudæ, Apocalypsin, vt videre est apud Athanasium loco citato. At hi in vestro canone non sunt. Nam iuxta regulam Serenissimi Regis vestri, quicunque secundi ordinis sunt, extra canonem sunt.

11. Hæc omnia expende, mi homo. Et vicissim vide, quam meliori cõditione noster canon sit. Primo, quia per cõtinuam successionem deduci potest ad primitiuam Ecclesiam. 2. quia habet Augustinũ & alios doctissimos Patres, vt patronos. 3. approbatus est à Conciliis generalibus & prouincialibus, id est, à tota Ecclesia. 4. omnes, quotquot à me citati sunt, plane inter se, & nobiscũ consentiunt. Nullus vel in minimo apice dissentit ab altero. *Epilo-*

Epilogus

QVæ hactenus à me dicta ſunt, Lancellotte, velim in bonam partẽ accipias. Et, vt compendio repetam, ſunt hæc fere, quæ dixi. Primo, Pontificem Veteris Teſtamenti in multis præcelluiſſe Regi; ac proinde vanum eſſe commentum, quod Regi veſtro perſuadetis, nulla ex parte ipſum Pontifice minorem eſſe. Secundo, Iuramentum Primatus Regii à nullo hominum genere præſtari poſſe. Tertio, nec Iuramentum Fidelitatis, bona conſcientia, à Catholicis præſtari poſſe; ideoque rectè feciſſe Pontificem, quod Catholicos in Anglia paternè hortatus ſit, ne præſtarent. Quarto, Reſponſionem tuam ad Apologiam Cardinalis Bellarmini, meris ineptiis refertam eſſe. Hæc ſi vides, Lancellotte, bene de te ſpero: ſin minus, cæcus es, & cæcorum Dux.

APPENDIX.

De Puritanis.

1 SÆpè nominati ſunt Puritani. Semel explicandum eſt, qui & quales ſint

Puritani. Ac tria generatim de iis disputari possunt. Primo, de eorum nomine seu appellatione. Secundo, de moribus. Tertio de fide ac religione. Primum punctum facile expedietur. In reliquis duobus est magna dissensio apud ipsos Anglos, præsertim apud Regem, Sacellanum, Thomsoniũ, & Burhillum; vt in progressu videbimus.

De Nomine Puritanorum.

2 NOn vno, sed quintuplici nomine appellari solent, pro locorum diuersitate. Nam in Germania vocantur Caluinistæ: in Belgio, Geusii: in Anglia & Scotia, Puritani: in Gallia, Hugonotæ in Bohemia, Picarditæ. Origo horum nominum partim nota, partim obscura est. *Caluinistæ* vocãtur à Caluino, homine versipelle & libidinoso, cuius sectam & doctrinam sequuntur. *Geusii*, idem est, quod mendici. Quo nomine, tanquam vagos & mendicos nebulones insigniuit illos Carolus comes Barlemõtius, coram Illustrissima Belgii Gubernatrice Margareta, Principe Parmensi. *Puritani* idem est, quod puri caluinistæ. qui

qui per omnia ſequuntur Caluini doctrinam. Alii vocant *Pruritanos* à pruriendo, quia ſunt homines inquieti, more prurientium. *Hugonotæ* vel ab Hugone Comite, factioſo & rebelli, dicti ſūt, vt aliqui volunt; vel certe, quod veriſimilius eſt, ex alia occaſione, quam refert Florimundus Remundus in libro de Antichriſto, cap. 3. Ait milites Caluinianos qui in coniuratione Ambianēſi, in mortem Regis totiuſque familiæ Regiæ conſpirauerant, habuiſſe hanc teſſeram vt obuios quoſque alloquerentur his verbis; *Allez vous à Nantes*? Et, ſi rogati reſponderent, *Huc nos*, intelligerentur eſſe conſcii & ſocii cōſpirationis, Hinc factum eſſe, vt ex illa voce *Huc nos* frequenter repetita & vſurpata, ſocii omnes *Hugonotæ* appellentur. Cur *Picarditæ* dicti ſint, non inuenio apud authores. Forte quia Caluinus, eorum parens, ex Picardia originem traxit.

De moribus Puritanorum.

3 MOres Puritanorum luculēter deſcribit Rex Angliæ, cuius authoritatem ne ipſi quidem Puritani reſpu-

ere

ere ausi sunt. Is igitur in sua Præfatione monitoria ad Imperatorem, Reges & Principes, ita sentit de Puritanis. Primo, esse homines furiosos & incendiarios. Secundo, plus se fidei reperisse in efferis Latronibus, quàm in Puritanis. Tertio, se non solum à natiuitate continuo vexatum fuisse à Puritanis, sed etiã in vtero materno propemodũ extinctum, antequam nasceretur. Quarto, se in suo ad filium libro, multo acrius ac vehementius in Puritanos, quàm in Pontificios inuectum esse. Denique, se eidem libro prolixam in odium Puritanorum præfationem Apologeticam præfixisse.

4. Hæc & similia habet Rex de Puritanis. Qui tamen alibi monet se loqui de Puritanis sibi subiectis, non de extraneis. Sic enim scribit ad calcem Monitoriæ præfationis; *Puritanorum nomine non alios intelligo, quam subditos, qui sub imperio meo degentes, legum imperiis reluctari, animis obstinauerũt.* Et infra; *Quidquid inibi de Puritauis dixi, de iis solis accipiendum, qui intra ditionis meæ fines peruicaci huic disciplinæ se tradiderũt. Mihi enim alioqui est decretissimum, rebus alienis me*

non

non immiscere, sed alias reformatæ religionis Ecclesias Christianæ suæ libertati committere. Et ibidem; *Absit itaque à me, eos vt iudicem, quos Deus à iurisdictione mea voluit esse immunes.*

5. Itaq; ex sententia Regis, Puritani qui in Anglia & Scotia degunt, sunt incendiarii, regicidæ, perfidi, peruicaces, obstinati, legum imperiis reluctãtes. De aliis Puritanis, qui extra Angliã & Scotiam sunt, non vult Rex iudicare, an sint similes illis, nec ne; quia non sunt ipsius iurisdictioni subiecti. Quod si essent, etiam de illis sententiam ferret.

6. Sacellanus videtur aliter sẽtire, quã Rex. Nã in Tortura sic loquitur de Puritanis; *Quos vero puritanos appellat, si regium Primatum detestentur, detestandi ipsi. Profitentur enim, subscribunt, iurant indies. Sed & illi, quod faciunt, ingenuè faciunt,* id est, ingenuè profitentur Primatum Regis, ingenuè subscribunt, ingenuè iurant. Itane vero? At Rex dicit esse homines peruicaces, obstinatos, legum imperiis reluctantes, in quibus minus fidei ac fidelitatis sit, quàm in latronibus.

7. Hanc dissensionem inter Regem & Sacel-

Sacellanum memini me alias notasse & obiecisse. Sed eam, vt supra insinuaui, conantur excusare Burhillus & Thomsonius. Et quidem Burhillus in Responsione pro Tortura Torti, dicit Regem loqui de Puritanis in Scotia; Sacellanũ de Puritanis in Anglia. Hos ingenuos, illos perfidos esse: Non vitio religionis, cùm eandem vtrique sectentur religionem; sed quia alios mores habent hi, alios illi. Multo aliter Thomsonius in Elencho. Distĩguit enim duo genera Puritanorum in Anglia, qui non moribus tantum, sed etiam religione inter se distent. Alios vocat *factiosos homines, puros putos Pharisæos, antiquitatis osores*. Alios, *bonos quidem & probos viros, qui summam doctrinæ Anglicanæ probant, sed tamen in praxi & disciplina Ecclesiæ quædam desiderant, quæ dicere non possunt*. Addit, Regem loqui de prioribus; Sacellanum de posterioribus.

8. Vtri credam, Burhillo an Thomsonio? Neutri potius. Vtrumque enim refellit Rex. Nam vt Paulo ante notaui, disertè dicit, se loqui de Puritanis suæ ditioni ac imperio subiectis, & eos solũ exclu-

excludere, qui ab ipſius iuriſdictione immunes ſunt. Ergo nec Anglos nec Scotos excludit, quia neutri ab illius iurisdictione ſunt im̃unes. Nec eorũ, qui in Anglia ſunt, diſtinguit duo genera; alterum factioſorum, alterum proborum hominũ; ſed ſimpliciter affirmat, quotquot intra ditionis ſuæ terminos peruicaci Puritanorum diſciplinæ ſe tradiderunt, eſſe homines perfidos, incendiarios, legum imperiis reluctantes, ac efferis latronibus deteriores.

9. Et hanc Regis cenſuram, poſtea amplexus eſt Sacellanus. Tametſi enim in *Tortura Torti*, conatus ſit Puritanos defendere & excuſare, tanquam homines ingenuos, vt paulo ante dictum eſt; tamen in Reſponſione ad Apologiam Bellarmini fatetur, in hac re credendũ eſſe Regi, non ſibi. Sic enim ſcribit cap. 4. in fine; *De Puritanis credamus Regi experto. Diſcamus ex iis, quæ in ore ſunt omni populo.*

De

De fide & religione Puritanorum.

10. Hic quæri poteſt, an omnes Puritani, qui Regi Angliæ ſubiecti ſunt, ſequātur eandem fidem & religionem? an vero in plures ſectas diuiſi ſint? Burhillus ait, omnes eiuſdem eſſe fidei ac religionis; & ſolis moribus diſcrepare. In Anglia probos eſſe; in Scotia, improbos. Thomſonius, non moribus tantum, ſed etiam fide ac doctrina diuulſos eſſe contendit. Rex in Monitoria Præfactione, ab vtroque diſsidet. Omnes improbos; omnes eiuſdem doctrinæ eſſe vult. Mira res, non poſſe certo affirmari, quid de hoc hominum genere ſtatuendū ſit. Quāto meliores Catholici, qui ita candide, rotūdè, ac confidenter ſuam fidem profitentur, vt nullus de ea re dubitandi ſit locus.

Laus DEO, *& Beatæ* MARIÆ *Virgini.*